

*MASTER NEGATIVE*  
NO. 93-81606-15

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

# **COPYRIGHT STATEMENT**

**The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.**

**Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.**

**This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.**

*AUTHOR:*

DYCKHOFF, SIGIMUND

*TITLE:*

DE ALIQUOT HORATII  
CARMINUM LOCIS...

*PLACE:*

MONASTERII

*DATE:*

[1856]

\* Master Negative #

93-8160 6-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87HN  
EZ63

Dyckhoff, Sigimund, 1830-  
De aliquot Horatii Carminum locis suspectis.  
Accesserunt nonnullae observationes criticae.  
Commentatio philologica, quam... publice defendet  
scriptor Sigimundus Dyckhoff... Monasterii, ex  
typographia E. O. Brunn, [1856],  
ix, 43 p. 21 $\frac{1}{2}$  cm.

Thesis, Münster, 1856.

Restrictions on Use:

-----  
TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35

REDUCTION RATIO: 10x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 7-22-93

INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





**AIIM**

**Association for Information and Image Management**

1100 Wayne Avenue, Suite 1100  
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



**Centimeter**



**Inches**



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.

87HN  
EZ6  
DE

No. 2

ALIQUOT HORATII CARMINUM  
LOCIS SUSPECTIS.

ACCESSERUNT NONNULLAE OBSERVATIONES  
CRITICAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSIS

AD:

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLVI.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

SIGIMUNDUS DYCKHOFF,

MONASTERIENSIS.

---

MONASTERII,

EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

PATRI OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATO QUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

Horatii carmina non ea a nobis legi, quae ipse emiserit integra, sed aliquot saltem locis vitiata atque manu aliena interpolata, post Guietum haud pauci viri quum omni doctrina, tum praesertim arte critica clarissimi summo consensu judicaverunt. Ex quorum numero satis erit Buttmannum, Peerlkampium, Naekium, G. Hermannum, Lachmannum, Meinekium, Hauptium attulisse, ut intelligatur, me gravissimis etiam auctoribus rem tam ancipitem quam difficultatis plenam suscepisse. Quum enim libri manu scripti, quotquot exstant, ad unum omnes locos criticis suspectos tueantur, jam ab argumentis externis, quae dicuntur, atque in hac re longe certissimis ad sola interna, quae ex sententiis et verbis fluunt, avocaris; nisi quod ex codicem quorundam indicio de recensione Mavortii sexto post Chr. n. saeculo instituta nonnulla, quae hue faciunt, satis verisimiliter conjici possunt. Quam vero difficile sit, ex ipsis carminibus tantum distinguere, quid Horatius scripserit, quid secus, eamque quaestionem prorsus ad finem perducere, jam inde elucet, quod quum omnis, tum antiquus scriptor summa cura diligentiaque exploranti demum se aperit. Neque ea ipsa, quae suspectantur, sine arte quadam facta sunt, ita ut vix dubitari possit, quin homo Romanus isque sermonis Horatiani non imperitus ea composuerit; praesertim quum nonnulla ab antiquissimis testibus, Quintiliano, Servio, aliis, ut ab Horatio profecta laudentur. Ita plerique

interpretes in illis ne offenderunt quidem. Verum etiam hoc inde colligitur, judicium, quod conjecturae fines excedat, summam habere cautionem. Maxime autem cavendum est, ne quis ex semet suoque arbitrio potius quam ex re atque ipso poeta argumenta sumat. Quare legibus et certa norma jndicandi opus est.

Quivis facile concedet, hanc summam in ea re esse legem: Quaecunque in Horatii carminibus cum solita veraque ejus ratione scribendi diserepant, in fraudis suspicinem vocanda sunt. — Qualis igitur vera illa ratio est ant unde discitur? Si ea, quae poeta scripsit, diligentius perquisiveris, **in longe maxima eorum parte** genus dicendi unum propriumque ac rebus et verbis certo constitutum invenies. In primis enim ipse Horatius gloriatur, „sese libera per vacuum posuisse vestigia principem, neque aliena suo pressisse pede.“ Cf. epist. I, 19, 21 sq. et carm. III, 30, 10 sq. Atque, quod diximus, proprium ejus genus dicendi non solum vitiis caret, sed etiam cum tota ratione poesis quum antiquae, tum Romanae vere congruit, immo egregium est. Ergo ea omnia, quae in Horatii carminibus a peculiari illo, qui exstat, eoque optimo scribendi modo abhorrent, jure a nobis suspectantur. Praesertim singulorum carminum ii versus suspecti censendi sunt, quos et a compositione totius operis et ceterorum ratione prorsus alienos deprehendimus.

Tamen aliquis, etiam ex vilioribus illis Horatii artem pondemandam esse contendat, quippe qui et ipse interdum „dormitaverit.“ Verum quomodo res ita plane contrariae sociari possunt? Idem poeta ut longe plurima proprie et emendate, quin etiam egregie fecerit, panceis vero locis a consueto more recesserat atque adeo vitiouse seripserit? Nun si in carmine, quod per ceteros omnes versus absolutum ac perfectum exstat, unam stropham inscite aut inculeatam aut assutam deprehendimus, eundem poetam, qui illa optime considerit, haec perperam facta scripsisse judicemus?

Denique, si haec ab Horatio orta sunt, rectius scribere aut non potuit aut noluit. Atqui potuit; demonstrant enim opera ejus quam quae maxime. Eum vero voluisse, quis negabit, qui, quam severum rei poeticae jndicem se praebat, ex ejus scriptis cognoverit, atque quantam apud posteros gloriam exspectet, ab ipso audiverit?

Jam quum proposito meo prohibear, quominus genus dicendi Horatio proprium et ea, quae cum illo discrepant, singulatim explicem, nonnulla tantum, sed ea summa atque hujus curae criticae tamquam fundamenta afferre mihi licet.

Horatii in carminibus tota ratio in eo nititur, quod neque, qua Graecorum plerique poetae lyrici, libera ac nativa ingenii vi pollebat, et, neminem Romanorum secutus, „princeps Aeolium carmen ad Italos modos deduxit.“ Cf. carm. III, 30, 10 sq. Itaque quum naturali quadam necessitate, tum munere suo eo revocatus est, ut summa prudentia callidissimeque carmina conderet. Quare lyrice ejus fere omnino artificio tribuenda sunt, id quod praesertim ad elocutionem pertinet. Sententiarum enim neque multitudine, quippe quum eadem passim recurrent, neque gravitate, quae nisi in paucis carminibus non inveniatur, magnus est. Verum scribendi modo excellit ubique vere artificioso. Unde et rerum delectus, qui omnia poesi contraria respuat, oritur subtilissimus et compositio accurata et ordo lucidus et ratio singulas sententias determinandi ad carminis enjusque consilium accommodatissima, denique sermo tam purus quam venustus. Sed praeter ceteras illius artis virtutes haec observandae sunt, quippe ex quibus simul ad dijudicandos locos suspectos leges quaedam eaeque omnium primae fluere videantur.

1. Horatius carmina sua fere ita composuit, ut sententias ordine accurate definito digereret. Quae conditio quum ea quoque, quibus amoris et vini laudes celebrantur, teneat, tum in majoribus atque iis, quae, gravius argumentum amplexa, res publicas

tractant, paene systema fit, ita quidem, ut sententiae suis quaeque locis per singulos versus strophasque dispositae et ad consilium carminis explicatae certa quadam ratione absolvantur.

Itaque ab Horatio alienum esse existimo, ordinem illum mutare vel etiam res prorsus finitas repetere, pracsertim si nova exponi coepta sunt.

2. Subtilissima, qua poeta egit, rei consideratio eum vetuit, quominus sententiarum rationem semel institutam egredetur. Atque in primis ea fuit sagacitate, ut tenuiora quoque earum discrimina probe intelligeret.

Quare ea in Horatii artem non quadrare videntur, quae de via enarrandi jam ante inita decadent resque similes quidem, sed, si eas diligentius exploraveris, nihilominus diversas permisceant.

3. Horatii est, in sententiis explicandis ubique egregium adhibere modum. Tantum igitur abest, ut eas ab omni parte excusat lataque descriptione languidas reddat, ut paucis tantum iisque aptissimis illustret.

Unde efficitur, amplificationes eorum, quae lucida atque suavi sermonis brevitate excellant, tumidas frigidasque vel etiam nugis argutiisque repletas haud immerito suspectari. (Vide Buttmann. in Mythol. III, p. 364 sq.)

4. Horatius, poeta elegantissimi judicii, talibus solum verbis ac figuris dicendi utitur, quales res ipsa sententiaeque vis requirat.

Itaque locus canoro quidem, sed inani sermone perscriptus Horatio indignus videtur esse.

Triplex autem genus versuum criticis suspectorum invenitur. Quae enim in illis leguntur, aut ex historia (ut carm. I, 12, 37—44) aut ex mythologia (ut III, 11, 13—24) sumpta aut merae descriptiones rei antea indicatae sunt (ut III, 17, 2—5.)

Denique restat, ut de compositione hujus libelli pauca addam. Partim igitur, Meinekii editionem novissimam (Berolini a. 1854)

secutus, hunc aliquot locis eorum, quos suspectavit vir clarissimus, aut argumentis adjuvare (carm. II, 17, 13—20. 20, 9—12. III, 11, 17—20. 17, 2—5. IV, 4, 18—22) aut refellere (I, 3, 17—20. 15, 33—36. 31, 9—16. II, 17, 21—32. III, 11, 49—52. IV, 4, 61—64. 73—76), partim nova quaedam milii quidem suspecta (I, 10, 13—16. 12, 37—44. II, 20, 13—20. III, 11, 13—16. 21—24. IV, 4, 65—68) proponere conatus sum. Quia in re quoniam cujusque carminis res et verba non potui non singulatim explorare, ea quoque adjeci, quae memoratu digna me reperisse existimarem. Ordinem autem eum servavi, quem ipsi carminum versus amplectuntur.

# THESES CONTROVERSÆ

QUAS  
CUM COMMENTATIONE  
DE  
HORATII CARMINUM ALIQUIT  
LOCIS SUSPECTIS  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
IN  
.ALMA LITERARUM ACADEMIA MONASTERIENSI  
AD  
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
RITE IMPETRANDOS  
DIE XXIII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLVI.  
PUBLICÉ DEFENDET  
**SIGIMUNDUS DYCKHOFF,**  
MONASTERIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT.  
**IGNATIUS SCHWERDT, CAND. PHIL.**  
**CASIMIRUS RICHTER, CAND. PHIL.**  
**JOSEPHUS HESTER, SEM. PHIL. ET PAED. SOD. ORD.**

---

MONASTERII,  
EX TYPOGRAPHIA E. C. BRUNN.

## THESES.

- I. Falluntur ii, qui duplice esse veritatem, realem et formalem, quae vocatur, contendunt.
- II. Leibnitii monadologia pantheismum sapit.
- III. Atheniensium ex legibus jure factum est, ut Miltiades accusaretur ac pecunia multaretur.
- IV. Sophistae de magna literarum Graecarum parte bene meriti sunt.
- V. Falluntur omnes, qui se judicare posse putant de populi alicujus poesi nativa, dum ejus religionem moresque non curant.
- VI. Genuinum esse librum, ex solis internis, quae dicuntur, argumentis demonstrari non potest.
- VII. Soph. Antig. versus 905—914: *οὐ γάρ - νόμιμη* Schneidewinus auctore A. Jacobo jure ut spurios damnavit.
- VIII. Ibid. El. v. 743. pro *ἐπειτα λύων* melius *ἐπειτίς λύων* legendum est.
- IX. Hor. carm. I. 8. monologia est.
- X. Ibid. carm. I. 22. versus 13—16 Meinekius auctore Peerlkampio injuste suspectavit.
- XI. Ibid. carm. III. 4. versus 69—72 cum poetae arte discrepant.
- XII. Rectius scribitur: intelligo, negligo, Virgilius, quam: intellego, neglego, Vergilius.

## VITA.

MATTHIAS SIGIMUNDUS DYCKHOFF Monasteriensis natus sum a. Chr. MDCCCXXX. patre Christiano, matre Helena e gente Edelbrok, quos superstites colo. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis eruditum doctores gymnasii Monasteriensis formaverunt, in his praesertim Stieve rector atque R. Siemers p. m. per quattuor extremos annos ordinarius, viri doctissimi humanissimi. Anno h. s. L. maturitatis testimonium adeptus sum. Jam ut antiquitatis studiis me traderem, hanc almam Academiam adii ejusque civibus per triennium adscriptus fui. Operam dedi scholis VV. CC. Deycksii, R. Dieckhoffii, Esseri p. m., Hittorfii, Junkmanni, Karschii, Rospattii, Schlueteri, Winiewskii. Seminarii philologici, quod tunc rectoribus R. Nadermanno, Essero p. m., Deyeksio, florebat viris et doctrina et humanitate insignibus, per spatum semestre sodalis extraordinarius, per annum ordinarius eram. Deinde Universitatem Berolinensem petivi, et per tria semestria audivi VV. CC. Bekkerum, Boeckhium, Hauptium, Lepsum, Raumerum, Ritterum, Panofkam.

Omnibus illis viris doctissimis atque illustrissimis propter plurima et optima in me merita gratias ago semperque habebo quam maximas.

CARM. I, 3.

V V. 15. 16. Non assentior iis, qui notum hic de Hadriae imperio cum aliis ventis certantem faciunt. Nam quoad ille flat, ceteri recesserunt. Solus igitur tanquam deus marinus incedit, cui uni omnium fluctus tum intumescendo, tum subsidendo maxime pareant. Ponit autem undas, ita ut leni flatu suo eas quasi explicet atque exaequet, non, id quod Orellius, alii voluerunt, cessando dumtaxat. Jam Commentat. Cruq: „arbiter i. e. dominator, quod quasi ad arbitrium suum vel tolluntur fluctus vel placantur.“

V. 17. Quia gradus' notio non tam qualitatis est, quam quantitatis loci ac temporis, quae vocantur, errant scholiastae, qui genus mortis hic indicari putant. Neque cum Orellio superbum Mortis victricis incessum, aut cum aliis: Mors in gradu stat composita, cogitaverim. Mortis enim gradus, sicut aut magni aut exigui, ita aut citati aut tardati sunt. Jam eam, si contracto et tardato gradu incedit, remotam atque dubiam, sin pleno et citato, propinquam certamque esse appareat. Quare qui nullum mortis gradum timet, is etiam celerrime ideoque certissime appropinquenti audacter occurrit.

Versus 21 — 24 perperam vulgo perinde exponuntur, quasi poeta singulas terras per mare disjunctas esse dixerit.

Vetant enim ea, quae sequuntur atque verba: „abscidit‘ pro ,discidit‘, „Oceanus‘, „non tangenda‘, unde totius mundi partes hominibus negatas hoc carmine dici haud dubie colligitur. Quare scholiastarum, Lambini, Ouwensii, Peerlkampii, aliorum interpretatio, mare et terram diversa esse deum voluisse una vera est. Acron: „Separatum est mare a terris.“ Porphyrio: „Prospexerat natura hominibus, ut terrae a mari discernerentur.“ Commentat. Cruq: „Ac si diceret: Numquid sine ratione separatum est mare a terra?“ Lambinus: „Frustra Deus terras a mari seclusit.“ Vide Peerlkampium, qui hanc interpretationem similibus locis firmat. Neque verbum „transiliunt‘ ei obstat. Nam si deus mare a terra, unico hominum domicilio, dissociavit eoque vetuit, ne omnino illud tentarent, simul eos prohibitus erat, quominus commercii causa regiones exteriores trans Oceanum peterent. Quam unam certamque rei speciem Horatius pro generali posuit. Quum igitur deus alteram ab altero „abscindet‘, pristinam eorum societatem prorsus dissolvit, ita quidem, ut oceanus homini in terra solum habitaturo plane intercluderetur. Ea enim notio verbo „dissociabilis‘ subjecta est, quod, quoniam non tam a „dissociare‘, quam a „dis‘ et „sociabilis‘ ducitur, per prolepsim quandam, quam vocant, indicat, terram cum mari, ad hominem videlicet vitam, sociari non posse. Cf. Tac. Agric. 3: „quamquam Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem‘, rel. Vide Peerlkamp. — Ouwensius: „dissociato‘. At tautologiam sapit; nam „abscindere‘ fere idem indicat, quod „dissociatum reddere‘. Orellius, alii: „qui eas dissociaret‘. Verum iis, quae supra diximus, emissis rursus tautologiam, quam jam Bentlejus rejecit, offendimus. — Etiamsi autem per loci sententiam nihil refert, utrum „abscidit terras oceano dissociabili‘, h. e. cum terris, an „oceano dissociabiles terras‘, h. e. cum oceano, legas, tamen priorem lectionem alteri praestare duco. Primum enim „dissociabilis‘ conjectura Bentleji est, quem Fea, „dissociabiles‘ scribens, sequitur. „Dissociabile‘ Cuningh. conj. firmata codice Leid., prob. Oudendorp. Deinde deum mundi partes

digerentem hic ab hominibus eorumque sede, terram dico, proficiisci apparet. Itaque haec quasi prior atque certo constituta evasit, cui mare alterum et contrarium prorsusque diversum factum objiceretur. Neque omittendum est, eam hominum in mari adeundo audaciam describi, qua rem terris dissimillimam tentaverint. Haec igitur ratio ita declaranda erat, ut illud appositorum cum verbo „oceanus‘ diserte quoque coniungeretur. — Praeterea addi potest, „dissociabili‘, perinde, ac si „terrae‘ jam praecesserint, dici, par modo, quo supra v. 4. verbum „aliis‘ iis demum, quae sequuntur, „praeter Japyga‘, explicatur. Utrumque autem ex Graeco more factum esse patet.

V. 26. Verba „ruit per vetitum nefas‘, unum Bosscham et qui ei assentient recte intellexisse existimo. Bosscha: „Vetitum nefas est, cui natura se multis et magnis impedimentis opposuit.“ Non enim vulgare nefas hominibus criminis datur, quippe ad quod faciendum „audacia omnia perpetiendi‘ opus non fuerit. Immo petunt, quae ipsa rerum natura planissime negavit. Quae igitur „gens humana per vetitum nefas ruit,‘ facinus quasi „non tangendum‘ fecit. Quomodo in his verbis insit id, quod Orellius voluit: „ruit per vetitum‘ atque adeo „nefas‘ committere audet,‘ equidem non perspicio. (Oudendorp. conj. „per vetitum‘ in „nefas‘, Duhamel „per vetitum‘ et „nefas‘.)

V. 34. „Vacuum aera.“ Commentat. Cruq: „Aperatum, cujus pennis experiendi hominibus nulla causa fuit.“ Fere idem Acron dicit. Fortasse igitur „vacuus‘ aer vocatur, quia solido, quo homines niti ac teneri possint, caret. Itaque, quippe cum terra „dissociabilis‘, illis „non tangendus‘ atque prorsus „vetitus‘ est.

Jam versus 17—20 a fraudis suspicione, in quam aucto-ribus Guieto et Peerlkampio Meinekius. (praef. p. III.) eos adduxit, liberare conabor. Primum enim cur verbis „qui vidit mare turbidum‘ inanis ejusdem rei repetitio sub-

sit, ego quidem non video. Immo egregie tota res descripta est. Gradatione usus poeta nautam non solum non timore percuti, sed eum facit, qui pericula sponte ingressus etiam ,siccis oculis videat'; quod ventorum certamen illum non retinuit, quominus ratem solveret atque ,pelago committeret,' jam monstris in medio mari natantibus, horridae tempestati, periculosis scopulis cessit. Atque in primis, quae extremo loco tanquam pictura proponitur, salum circa recentes montium rupes fluctuans, speciem praebet vere sublimem. Neque ad depingenda maris pericula ventos tantum memorasse satis fuerit. Quod deinde Peerlkampius certam illius promontorii imaginem, ut ab hoc loco alienam, reprehendit, valde miror. Nam ut omittamus, verum poetam semper nisi et contendere, ut generalia dubiaque singulis atque certis commutet, quivis certe Horatii lector Romanus saxa illa naufragiis insignia aut ipse expertus aut fama edoctus probe cognoverat, praesertim quae in Graeciam iter facientibus praetervehenda essent. Quonam igitur aptiore exemplo poeta uti potuit? Tum eidem critico, quum scopulorum notionem priore verbi ,Acroceraunia' parte simul contineri affirmet, haec videntur objicienda. Non enim veterum aut praeter ceteros Romanorum aures in eo offendisse puto, quippe qui simplicis modo notionis vocem audirent. Neque etiam hoc verbo, id quod cetera ejusdem generis comparata satis demonstrant, arx in summo monte sita, verum summum montis, dum in mare procurrat, fastigium indicatur. Praecipue vero observatum velim, scopulorum nomine poetam ita potius usum esse, ut periculum navium impingendarum significaret. Tamen haud recusabo, quin cum Peerlkampio ,atra' aut ,alta Ceraunia' legam, modo is, nomen ,Acroceraunia' Horatii aetate inusitatum fuisse, recte demonstraverit. Verum jam Bentlejus ,alta Ceraunia' Baxteri conjecturam quum propter Servium ad Virg. Aen. III, 506 et Lactantium ad Stat. Theb. I, 133. III, 121 lectionem vulgarem laudantes, tum propterea improbabavit, quod duplex epitheton, ,infames' ,alta' tolerari non posset. Ceterum ,Acroceraunia' praeter hunc locum in Ovid. Rem. am. 739 et apud Plin. ter: III, 11, 15. 26, 29. IV, 23, legitur.

Versus 25—36 idem criticus ut suppositos delevit. Quare de his quoque nonnulla disserere mihi liceat. Egregie poeta exponit, quanta audacia homines ea ipsa petiverint, quae ultra naturam humanam constituta attingere nefas ducatur. ,Prudenter' (V. 22.) quidem deus hac re fecit, quod illos intra terrae terminos coercuit. Haud enim ignorabat, eos ceteris insolenter usuros itaque perituros esse. Sed frustra op̄eram consumpsit. Nam homines terram, propriam suam sedem, aspernati partes mundi illi prorsus contrarias per vim adierunt. Atque dignum est cognitu, omnia deorum regna hic enumerari, oceanum, aethera, aera, inferos, ipsum coelum. Postquam autem homo negata tentavit, fieri non potuit, quin protinus perniciosa eorum vim sentiret ac temerariae cupiditatis poenas solveret. Quae ut exemplo probentur, mala post ignem ablatum in genus humanum irruentia poeta describit. Ignis enim, quia cultiore victu aviditatem parit, atque depravatis moribus luem mortemque simul secum affert, hominibus a deo denegatus erat. Quum igitur minus terrae quam aetheris sit, poeta diserte sic orditur: ,Post ignem aetheria domo subductum.' Ipsa deinde illa audacia major quam pro hominis viribus facit, ut ratio generis humani nominatim compluries repetita exstet. Quod denique Hercules ad inferos descendit, non videtur esse labor, quo Cerberum protraxit, quippe Eurystheo potius dandus; sed audax illud incepit, quum Alcestem, Admeti regis conjugem, ab Orco reducem in lucem facturus ipsam Mortem corripuit atque perdomuit.

Postremo de ordine stropharum pauca addam. Optimis poeta omnibus iter Virgilii prosequitur, et, timorem suum quasi probaturus, maris pericula atque hominum confidentiam, quippe qui leges ab ipsis dis conditas perfringant, et, quae rerum natura negaverit, audacissime appetant, magnifico sermone depingit. Jam tres carminis partes evadunt, quarum prima duas, altera et tertia quaternas strophas complectuntur. Octo igitur versibus Horatius navem dimittit; altera parte maris pericula et primi nautae audaciam describit, ita quidem ut quarta strophe ad impiam mortalium insolentiam tertio carminis loco generatim tractandam aditum paret; postremis

igitur sedecim versibus ostenditur, quanta impietate homines omnino imperium deorum detrectent eorumque vindictam quasi provocent. Neque omittam, alterius et tertiae partis postrema stropha ternarum, quae antedecunt, argumentum quasi colligi atque absolvit.

### CARM. I, 10.

V. 13—16. Quam ob rem hos versus cum antecedentibus minus congruere existimem, breviter exponam. Primum quod argumentum, naturalem dico Mercurii calliditatem atque velocitatem, exemplo pharetrae raptae egregie illustratur, ab eo sententia jam declinare videtur. Nam Mercurius, quae quidem ante Trojam ejus persona est, deus potius exstitit et divina somniferae virgae arte instructus et Jovis minister nuntiusque fidus et misericors hominum adjutor et quem arcum deorum interpretem verentur horrentque, quam numen illud simplex et confidens callidissimumque. Futurum autem esse, ut his quoque versibus id ipsum describatur, verba, *quin et* atque *fefellit* manifesto docent. Quorsus deinde gradatio illa pertinet? Num qui hominem nocturno tempore castrorum excubias per vim divinam sopore oppressas traducens latet, callidior est eo, cui contigit, id quod prorsus incredibile fuit, ut deo se increpanti poenasque minitanti atque eidem prudentissimo, quippe quem nihil effugeret, sub oculis pharetram auferret? Tum pro *,superbis Atridis* versutum Ulixem appellatum esse malum, aequa ac Priamus fortasse eum potius, quem Homerus describit, patrem amore filii incautum ac temerarium factum, quam *,d ivitem* agere oportuit. Nam id agitur, ut summam Mercurii calli-

ditatem quam maxime perspiciamus. Denique non omittam praeter hunc duos alias locos mihi suspectos ab iisdem particulis, *quin et*, ibi quidem a re alienis, ordiri, carm. II, 13, 37—40 dico, quos versus J. E. Ellendtius quoque in programmate Regiomontano a. 1853 suspectavit, et carm. III, 11, 21—24, de qua stropha infra disputabo.

### CARM. I, 12.

V. 13. 14. Lectionem *,parentis* habent cod. Bland. vetustiss. (sed ad marginem *,parentum*), unus Vatic. Lamb., Turic., duo Bern. Orell., quorum alter vetustissimus, Zulich. Bentl., editiones Cruqu., Lamb., Bentl. (sed praefert *,parentum*), simul tamen *,quem* pro *,quid* conjiciens), Orell., Weidm. (Lipsiae 1851), Meinek. secunda, Paulyi (Lipsiae 1855). Etiam Acron et Porphyrio hanc tueri videntur. Acron: „quas ego soleo dicere, vel quas omnes.“ Porphyrio: „Utrum mihi solitis, an vulgo?“ — Contra *,parentum* legitur in omnibus Cruquii codicibus praeter Bland. vetustiss., in plurimis Bentleji, in primis Graev., Leid., Regin., in Orellii Sangall., Bern. c et corr. b, in Goth. 2, apud Commentat. Cruqu., in editione Peerlkamp. (*,Parentem*, Mureti conjectaram, uno cod. Gemblac. Pulm. firmatam, Fea recepit.)

Jam utriusque lectioni codices fere pari auctoritate favere vides. Expendamus igitur, utra rectior sit. Bentlejus sic legendum esse censuit: *,Quem prius dicam solitis parentum laudibus?* Certe Jovem, qui rel., i. e. „per solitas parentum laudes.“ At *,quem*, necessaria viri summi conjectura, adhuc nusquam in codicibus exstat. Neque laudes antiquis Romanis solitae clarius a poeta indicantur.

— Alteram quae fieri potest in verbis ,solitis parentum laudibus' interpretationem Peerlkampius amplexus est: „Quid prius dicam solitis parentum laudibus qui' rel., i. e. „quam deum a parentibus fere semper laudatum.“ Juppiter igitur laudes illorum dicitur. Verum ipse praeclarus criticus concessit, haec ex latinitate non vulgari esse; neque ullo exemplo eam demonstravit. Tum ita quoque lectio ,quem' pro ,quid', inprimis propter id quod sequitur ,qui' requiri videtur. — Qui denique simpliciter sic cogitat: „quam solitam parentum laudem, ejus dico laudem, qui' rel., is duriora, quam quae ferri possint, poetae injungere videtur. Quum igitur lectio ,parentum' nullo pacto placeat, alteram ,parentis' unam veram esse arbitramur, quippe qua recepta omnia rectissime se habeant. Ceterum scriptura ,parentum', ut extremo versus loco posita, ex ultimis amborum, qui sequuntur, versuum syllabis ,deorum, mundum' facillime oriri potuit.

Neque vero poeta ,solitas' Jovis laudes insolitis opponit, sed hoc dicit: „Nihil prius celebrare fas est, quam solitas laudes, videlicet Jovis laudes; nam illis nihil invenitur majus“. Itaque ,solitae laudes' omnium, minime vero, de quo scholiastae dubitarunt, solius Horatii sunt, quippe quem suis propriis dei laudibus usum esse nusquam tradatur. Recte jam Cruquius: „quam solitas et ab omnibus decantatas laudes.“ Jovis igitur laudes, fere omnium mortalium communes, semper et ubique dicuntur. Quum enim ceteris dis sua cuique tempa ac solemnia sint, Juppiter omnibus locis et temporibus praedicatur. — Orellius: „ut fit in re divina, rite.“ Verum ea notio verbo ,solitus' non inest, neque sententia: „Quid prius dicam, quam laudes rite actas, Jovis laudes dico“, cum re congruit. Quasi vero hae laudes unum Jovem spectaverint.

V. 17. ,unde'. Qui explicant: „a quo generatur“, tres scholiastae, Bentlejus, Orellius, plerique ceteri interpretes, non viderunt, fieri posse, ut Juppiter a ceteris dis se non genitis superetur, id quod verba ,nec viget' sq., quibus omnium summus evadit, plane negant. Neque aliorum interpretatio: „quare“, jam a Bentlejo rejecta illa quidem, probari

potest. Itaque sententia loci haec videtur esse: „Juppiter primus et summus est. Inde ab illo, sive: ab illius fastigio exorsis nihil omnium, quaecunque generata sunt, majus eo occurrit.“ Cf. serm. II, 6, 21: ,Matutine pater, unde homines operum primos vitaeque labores instituunt.' 3, 193: ,Cur heros ab Achille secundus putrescit.' Quare autem poeta Jove ortos dumtaxat memoraverit, Bentlejus, quamquam, ut supra indicavimus, in verbo ,unde' falli videtur, ingeniose exposuit. Juppiter enim, ipse major patre Saturno, a nullo suae subolis superatus est; id quod laudes ejus maxime auget. Vide Bentlejum.

V. 21. Verba ,proeliis audax' ad Liberum retulerunt Acron, Comment. Cruqu., Lamb., Fea, Peerlkamp., Orell., alii; ad Palladem vero post Bentlejum editio Weidm., Meinek., Paul., alii, quibus assentior. Nam ut collocandi rationem omittamus, jam Bentlejus negavit, Liberi hoc esse epitheton perpetuum, quod vocant, quum tale appositum propter cetera desideraretur. — Vide Bentlejum, qui, postquam Bacchi expeditionem Indicam et pugnam adversus Gigantes memoravit, „Tamen“, inquit, „non ab uno alterove facinore, sed a perpetuo Bacchi more et charactere dandum hic fuisse epitheton. Atque a poetis Bacchus, tamquam omnium deorum mollissimus et meticulosissimus fere semper traducitur. Vide modo Aristophanis Batrachos" rel. Deinde et ipse ordinem verborum haud negligendum esse censet. — Acron („Nimia enim potatio vini lites generat et audaciam“) et Commentator Cruquii („Propter vini usum, quo viris addit animos“) rectam versuum sententiam non percepisse videntur. Neque enim vinum, sed deus celebratur, neque qui homines audaces reddit, ob eam rem ipse ,proeliis audax' nominari potest. — Orellius ,Liberum, proeliis audacem' his exemplis probare conatur. Apud Orpheum XLIV, 3. „Liberum patrem gladiis gaudere et cruento" legitur. At eodem modo ipse Horatius serm. I, 10, 45. Camenas ,rure gaudentes' appellat. Jamne illae perpetuo ruricolae sunt? — Macrob. Sat. I, 19: „Bacchus enyalius cognominatur.“ At Horatius in carm. saec. 16. Diana cognomen ,Genitalis' dedit; neque ullo alio loco id invenitur. Vide interpretes, in primis Ben-

tlejum. Tale aliquid Macrobius quoque vidisse, ex iis, quae verbis supra laudatis continno adjungit, recte conjicies. Pergit enim sic: „quod est inter propria Martis nomina.“ Neque vero Buttmannus in Mythol. I. pag. 30. epitheto perpetuo hic locum non esse evicit. Celebrantur illi quidem, quos poeta appellavit, di eo, quod rebus bellicis praeclari homines adjuverint, neque dubitari posse videtur, quin his versibus maximum illud certamen significetur, quo immania primae aetatis monstra vieta atque extincta miti humanitatisque pleno mutatae sortis imperio cesserint, par modo, ut Octavianus ferocem discordiae civilis tumultum opprimendo novi cujusdam saeculi auctor fuerit. Sed quamquam Bacchus pacis amans est, Minerva ipsa bellicosissima, ita ut hic tale appositum requirat, illa non item, tamen nomina ceteris imposita non bellum modo respicere, verum vulgaria simul esse patet, id quod in Baccho „proeliis audaci“ haud convenit. Neque etiam Minerva post uberes Jovis landes aliquo ornatu orationis carere potest, neque, quum ille propter summum imperium celebratus sit, hanc a bellica virtute landari elucebit, nisi verbis „proeliis andax“ distinguatur. Ita vero fit, ut, qui sequitur, Bacchus quoque eadem, qua ceteri, gloria excellat. Illorum enim in numero non potest non bellicosus esse.

V. 31. „Quia sic“ habent cod. Bland. vetustiss. ceterique codices Cruqu. praeter librum Div., Donati liber, Bentleji plerique vetustiores, Orell. Bern. b, omnes Pott., omissio „sic“ Petr. „qui sic“ Orellii Bernensis vetustissimus — „q. sic“ Gothanus 2. — „quod sic“ cod. Divaei per lituram, Faern., Urs. et dno Vatic. Lamb., Bentleji recentiores quidam, Turic., Cruqu., Lamb., Orell. — „nam sic“ codex Tornesii, duo Geimbl. Pulm., cod. Franequii Bossii — „qua sic“ cod. Goth. (?) et Pott., post Oudendorp. Peerlkamp. conj. — „quae sic“ corr. Regin. — „dii sic“ Laurent. Torrentii (ex glossa, vide Bentl.) — „di sic“ Fea, Jahnius, — „sic di“ cum T. Heins. Bentl. — „quis sic“ Doederl. „cui (quo) sic“ Perryus — „cum sic“ codices quidam (?) Orellii, Meinekius, — „quom sic“ editio Weidm., Paulyus.

Lectio „di sic“ vel „sic di“ minis placet. Peerlkampius: „Sic di voluere“ dicitur de rebus mirandis vel dolendis, quarum causas non plane intelligimus, sed mortales in deorum voluntate acquiescimus. Cf. Hor. serm. II, 6, 20 sq.: „Matutine pater, unde homines operum primos vitaeque labores instituunt, sic dis placitum“ rel. Si igitur sententiam perpenderis, non tam deorum inexplicable numen quam fratum potentiam dici intelliges, quippe quibus unda, quanvis „minax“ sit, obediatur. Quod Peerlkampius conjectit: „qua“, locorum rationem certis terminis circumscriptam atque integrum pervertit. Quod apud Meinekius legitur: „cum“ vel aliorum „quom“, particulam antecedentem „simul“ repetere tantum videtur. Quo enim temporis puncto nautis resurgent, eodem voluntas quoque maris placandi adest. „Quis, cui“ conjecturae propter antecedens verbum „nautis“ supervacaneae sunt. Quare aut fallor aut poeta hoc dicit: „Tempestas subsedit; nam certissima voluntatis contentione fratres id amplexi sunt, ut vel minax unda remitteret.“ Lectioni autem „quod“ alteram „nam“ propter majorem quandam vim eamque huic loco aptissimam praeferre malim. Nisi forte, quum optimi codices fere uno consensu lectionem „quia sic“ tueantur, Horatius haec scripsit: „et minax (qui sic voluere) ponto unda recumbit“, i. e. „nam ii sic voluere.“

Versus 37—44 suspectanti mili Haup tium, virum clarissimum, auctorem fuisse atque disserendi viam munivisse, ut debo, libenter profiteor. Priusquam autem ipsos aggrediamur, ii, qui antecedunt, 33—36, propter sententiarum conexum tractandi sunt.

1. Poetam post heroes virorum laudes canentem unos Romanos appellare non mirarum; in primis enim id voluit, ut Octavianus Roma ortus omnibus ceteris Romanae gentis viris anteponeretur. Maximos autem omnium enumerare in animo non erat; quaerit enim versibus 1. 3: „quem virum aut heroa, quem deum?“ et versu 21. legitur: „neque te silebo“, sicut versu 25: „dicam et“, etsi longe maiores deos heroesque afferre lieuit. Quare ut in illis, ita in viris deligidis caput rei, Octaviani laudes, respexit, quibus quoniam summis liberae rei publicae viris ante celebratis nimis

ffecturus fuisse, ad primam urbis aetatem rediit adhibuitque eos, qui fabulis magis quam historia noti atque deorum necessitudine usi quum optime cum heroibus jungerentur, tum fama sua de Octaviano nihil detraherent. Ut igitur Herculem, quippe naturae paene divinae participem, primo inter heroes loco habuit, ita Romulus et rex humanus et dei filius et simul unus omnium Romanorum, qui Graeco herois nomine ornari possit, orationem ad viros bene traducit. Regum autem memoriam Octaviano pergratam fore, res ipsa docuit. Itaque Peerlkampius hos quattuor versus injurya rejectit, perperam disserens, quasi viri illi proximum ab heroibus locum tenerent atque sic Octaviano superiores evaderent. Nam et praepositio *post* hic non dignitatem, sed tempus celebrandi indicat, neque verbum *hos omnes*, verum nominatos solum heroes spectat. An Castor et Pollux extremo heroum gradu sunt? Deinde eundem criticum in tenui Romanarum rerum descriptione offendentem effugere non potuit, id omnino Horatio proprium esse, ut Graeca prae suis in carminibus tractet. Qui quum primus lyrae latinae fidicen exsisteret, et re ipsa illuc se convertit, neque domi invenit, quae ratione lyrifica componi possent. Jam vero temporum quoque conditio postulare videbatur, ut ea omitteret, quae, cum recentioribus comparata, cujusque, qui libertatem viderat, animum dolore afficerent, Caesaris invidiam moverent, malevolos excitarent, ipsius, qui omnes motus civiles vehementissime oderat ac summa assiduaque opera paci inserviebat, vitae securitatem percuteret.

2. „Superbi fasces“ non Tarquinii prisci sunt, sed Tarquinii superbi. Tarquinium priscum praeter scholiastas plerique interpretes, ut Bentlejus, Peerlkampius, Orellius in his verbis vident, Lambinus vero, superbum Sexti (?Lucii?) Tarquinii imperium, additque, aliis Junium Brutum, aliis Tarquinium priscum magis placere. At hic molibus potius singulari magnificentia exstructis, Tarquinius superbus autem splendida dominatione sua gloriam assecutus est. Superbi enim fasces regnandi fastigium indicant, quod qui occupavit, quamvis vi atque injurya aditum imperii sibi paraverit, eum in magnis viris non possumus non habere. — In Catone

deinde post Bentlejum multi offenderunt. Ac re vera mentio ejus tam egregie facta Octaviani iram irritatura fuisse videatur, si poeta eum acerbissimo odio divum Julium hujusque consilia consequentem fecisset; id quod secus est. Evadit enim Cato vir vere Romanus, qui praeter omnes fortissimus aequo animo et suam ipse manu vitam, summum apud veteres bonum, profudit, scilicet quia id, quod voluit, exsequi non posset. Quo factum est, ut admiratio unius facinoris omnium animos penitus perstringeret. Neque vero quisquam, qui Romanorum ingenium recte perspexit, ei genti quovis tempore, etiam quum unius dominatu regeretur, quasi insitum libertatis sensum proprium fuisse negabit, quo animo quin ipse Octavianus fuerit, nos quidem non dubitamus.

3. Spurias esse duas, quae sequuntur, strophas (vv. 37—44) primum ex sententiарum ordine per vv. 33—36 constituto probare conabor. Illis enim tota historia Romana usque ad libertatem amissam paucis iisdemque gravissimis terminis definitur, ita tamen, ut virorum, qui celebrentur, prudens delectus habeatur. Initium igitur poeta rectissime ab Romulo capit, quippe qui et urbis conditor et Romanorum gloriae bellicae auctor et gentis sui ipsius simillimae deus maxime insignis primo atque summo virorum loco jure ducatur. Tum Numa Pompilius propter sacra publica resque divinas, unde omnia pacis ac bonae disciplinae munera nascantur, rite institutas altero loco appellatur. Tertius Tarquinius superbus evadit, qui ad summa regni pervenerit simulque quasi terminus antiquae et recentioris rerum formae extiterit. Media inter Tarquinium et Catonem tempora libertatis sunt, quorum splendidam virtutem pauca illa verba: „Catonis nobile letum“, egregie indicant. Vides igitur, quam certis finibus res Romanae, in quattuor illis viris tanquam fundamentis suis innisae, absolutae sint. Nihil jam addi potuit, nedum ea, quae sequuntur, et perturbato ordine enumerata et frigide, quin etiam prave descripta Horatius composuerit.

4. Jam Bentlejus: „Mihi mirari plane subit, quo consilio Noster post Romulum, Numam et Tarquinium priscum continuo ingerat Catonem, qui tot saeculis post illos natus

est, rursumque ad veteres illos revertatur Regulum, Scaurus, Paulum ceterosque.<sup>4</sup> Hinc summi critici conjectura,anne Curti<sup>5</sup> orta est, omissis ceteris quidem causis, quae cum moverunt. (Similia Peerlkampius quoque dicit.) Ratio enim temporum prorsus pervertitur; quae postquam Cato ad exitum adduxit, iterum aperiuntur, ita quidem, ut post Scaurus magis magisque recedant. Sed eum, quicunque hos versus scripsit, non tam, sicut Horatium, ordinem aetatum, quam aliam causam respexisse, quivis facile videbit. Quum enim ,Catonis nobili leto<sup>6</sup> deceptus id agi putaret, ut exempla contemuendae mortis proponerentur, illi Regulum, Paullum, si vis, Fabricium adjunxit. Quid vero inter hos Scauri sibi velint, nescio. Fabricius ad Curium et Camillum traduxit, qui docent, quantam utilitatem bellicam continentia afferat. Continentiae enim, non virorum, id quod oportuit, laudes agnoscemus, si legerimus: ,paupertas utilem bello tulit.<sup>7</sup> Enarrari credas exempla ex disputatione quadam sumpta, quales in veterum scholis usitatae essent, velut de dulci morte pro patria expetita, vel de commodis publicis ex paupertate profectis. Illud quidem mihi persuasum est, Horatium, si quid ejusmodi perscribere animum induxisset, omnino alii et hominum et rerum exemplis usurum atque res belli domique a Deciis, Scipionibus, Gracchis eorumque similibus gestas laudaturum fuisse.

5. Singula examinanti statim, Scauri<sup>8</sup>, quidquid interpretes disseruerunt, valde suspecti occurrunt. Nam praeter unum M. Aemilium Scaurum, qui famam vitiis quibusdam infamasse etiam videtur (Cf. Sall. Jug. 15.), nullum ejus gentis invenies sermone dignum. (Vide Peerlkampium.) Si quis Scaurorum nomine viros M. Aemilii Scauri similes dici paret, nihil proficit. Quasi vero poeta de rebus et personis in universum disputaturus, ac non viros proprie nominatimque a virtutibus illustraturus esset. — ,Gratum<sup>9</sup> deinde animum in hoc carmine poetam minus decere existimo, quippe qui homines propter magnitudinem potius celebret. In quo verbo Peerlkampius quoque offendit, ex codicis cuiusdam lectione ,Gracchos<sup>10</sup> conjiciens ,Gracchum et.<sup>11</sup> — Quid autem Horatium censes, num a modestia sua impetrasse, ut

se illos ,insigni<sup>12</sup> h. e. egregia camena relaturum esse scriberet? Nonne ad lectorem carminis judicium detulisset, ipse sic fere locutus: ,celebrante<sup>13</sup>, sive: ,ornante referam camena?<sup>14</sup> — Jam haud scio an nemo sentiat, tenue ac prope ridiculum esse, quod inter deos, heroes, viros tantae magnitudinis, quem numerum Octavianus, orbis terrarum imperio potitus, quasi cumulo auget, Curius ille caput suum extollat ,in contis capillis<sup>15</sup> rusticum. — Neque vero ,fundus apto cum lare<sup>16</sup> paupertatem ,saevam<sup>17</sup> esse permittit. (Bentlejus conjectit ,sancta paupertas<sup>18</sup>, Peerlkampius ,dura<sup>19</sup>, Withofius ,casta<sup>20</sup>.) Et eum, qui fundo cum apta domo utatur, protinus hominem militarem bellisque gerendis utilem evadere, haud quilibet crediderit. (Bentlejus conjectit ,arto cum lare<sup>21</sup>, quod a Meinekio receptum est.) Denique, quid tandem haec verba indicant? Nempe ,fundum apto cum lare<sup>22</sup> eum vocamus, cui nihil deest, quin bene constitutus sit. Num talis fundus per ipsam illam virtutem homines ,bello utiles fert?

Itaque non dubitaverim, hos versus suspectare; nam Horatio prorsus indignos esse, statim elucebit, si eos cum ceteris obiter tantum comparaveris.

Vv. 45—48. Peerlkampius, quum hanc quoque stropham rejiciat, non vidit, neque Marcellum ab Octaviano summe dilectum neque divum Julium hic omittere Horatio licuisse. Optime vero idem locum difficilem emendatione, ,Marcellis<sup>23</sup> pro ,Marcelli<sup>24</sup> scribens, adjuvit, quam editio Weidm., Meinek., Paul. receperunt. Neuter enim Marcellorum solus cum re et verbis satis congruit. Neque M. Claudii fama iam crescebat, quippe quam sua ipse opera tunc augere non posset; et alterius gloriam sperabant potius aequales quam admirabantur. Sin ,Marcellis<sup>25</sup> legitur, haec sententia eaque utrumque conjungendo perquam apposita nascitur: „Marcellorum fama, inde ab antiquis temporibus illustris facta, eo laetissima incrementa capit, quod adolescens novissime ex his prognatus, etsi praeclaris rebus gestis minus excellit, ingenii morumque virtutibus silentio auctis in dies majores sui spes ostendit.“ Jam tota Marcellorum familia laudibus effertur, id quod etiam ad verba ,Julium sidus<sup>26</sup> fortasse me-

lius quadrat. Quum enim verbo ,sidus‘ splendoris sive decoris quoque notio insit, per ,Julium sidus‘ gentis Juliae decus indicari videtur. Sidere autem Julio omnes superantur, illo ceteri inferiores sunt. Quod qua ratione a poeta dici possit, nisi simul Octavianum celebrare voluerit, non perspicio. Itaque haud dubitem, quin ita, sicut carm. IV, 8, 31. ,clarum Tyndaridae sidus‘ invenitur, ,sidus Julium‘ ad utrumque, et Julium Caesarem et Octavianum, sit referendum. Neque est, cur translato quoque verbo ad duos indicando uti mos linguae Latinae vetet. Quod si probaveris, temporum etiam ordinem rectius servabis, quippe quum Marcellos ipse Octavianus excipiat, ita tamen, ut cum magno patre suo egregie conjunctus sit. Quo simul accedit, ut poeta versibus, qui sequuntur, non tam principis laudes canat, quam preces ac vota pro ejus salute faciat.

VV. 49—60. Jovi, hominum summo custodi, curam Caesaris, qui generis humani imperium teneat, Horatius tradidrus, eam rei imaginem effingit, qua et potentia utriusque et quae inter illos ratio intersit, egregie illustrata pateant. Ut enim Juppiter primo, ita Caesar secundo gradu constitutus (Cf. vv. 51., 52., 57.) homines regit; alter Olympum (Cf. v. 58.), alter orbem terrarum (Cf. v. 57.) occupavit; ille terrorum mortalibus incutit gravesque culpae poenas ostendit (Cf. vv. 59., 60.), ut hujus aequa dominatio (Cf. v. 57.) quam maxime valeat atque confirmetur. Ita quasi societate inter deum terraeque dominum facta omnia optime cedunt. Caesaris vero imperium versibus 53—56 praecclare definitur. Sententis enim inter se oppositis gentium et ferocissima et remotissima appellatur, id quod res et nomina luculenter docent. Illis igitur contrariis, quum res ipsas omnium gravissimas amplexa inferiora quaeque sinul comprehendant, totum orbem terrarum indicari manifestum est. Quare v. 57. quoque lectionem ,latum orbem‘ alteri ,laetum‘ anteferre placet, praesertim quum majore codicum auctoritate firmetur. (,Latum‘: Bentl. vetustiores quique, Orellii Bern. b, Sangall., Goth. 2, Com. Cruq., Cruq., Lamb., Bentl., Orell., Paul. — ,laetum‘: Bentl. quinque, Pott. tres, Bern. vetustiss.. Turic., Fea, ed. Weidm., Meinek. Verba denique ,te

minor‘ Caesarem uno tantum Jove inferiorem esse affirmant (Cf. v. 51. ,secundo Caesare‘); non quod poeta principem de modestia ejus moneat. Ejusmodi enim praeceptum haud scio an ab hymnorum natura nimis abhorreat.

Jam iis, quae voluimus, expositis ejectisque, quos damnavimus, versibus pauca de ordine stropharum addere liceat. Carmen, quo poeta Octavianum ita decorat, ut eum in illustibus dis, heroibus, viris numeret, praemisso exordio duas partes continet. Tribus igitur strophis prioribus et musam invocando et magnam poesis vim canendo argumentum operis proponit. Altera parte quinque stropharum (vv. 13—32) laudes deorum et heroum celebrat, his tria (vv. 13—24), illis duo (vv. 25—32) tetrasticha tribuens; altera pars et ipsa quinque strophas complexa (vv. 33—36 et 45—60) claros Romanorum viros, duabus quidem prioribus (vv. 33—36 et 45—48) ceteros, tribus (vv. 49—60) Octavianum praedicat.

---

## CARM. I, 15.

---

V. 19. Meinekii (praef. VI.) (post Doeringium: „quamvi serus, tamen“ rel.) interpretatio: „heu serus quidem, tamen collines,“ haud scio an propter rarissimam verborum inversionem ab Horatio aliena sit. Illud sane criticus peracutus bene disseveruit, sententiam hujusmodi: „Quamquam frustra vitabis Ajacem, tamen occides,“ ineptam esse. Sed aut fallor aut poeta libertate quadam dicendi verbis minus quam sententiae inserviente utitur. Verbis igitur: ,tamen‘ sq., ea, quae antecedunt, ita intelligi vult, ut per illam particulam hoc tantum audiatur: „Etiamsi diu vitabis,“ atque: „etiamsi — pectes“, et: „etiamsi — divides, tamen“ sq. —

Versus 33—36 a Peerlkampio et Meinekio (praef. VII.) in fraudis suspicionem vocatos equidem Horatii esse existimo. Ordo primum sententiarum nihil obstat. Immo iis, quae versibus 7. 8. indicantur, orationis finem quendam, quo interitus Troiae memoretur, desiderari patet. Neque vero, qui proxime antecedunt, versus indicio carminis absoluti sunt. Si verbo „proferre“ una prolatandi notio inest, concedamus sane Peerlkampio oportet, sententiam pravam evadere. Nam et invitox Myrmidones pugna abstinuisse neque diutius quam per septem et decem dies Achillem ceteris succensuisse Homerus diserte narrat. Neque ipsa sententia placet, quippe a consilio carminis aliena. Quum autem, „proferet“ idem significare atque: adducet, non evicerim, legendum esse puto: „proferet“, pari modo, quo supra bis verbum „heu“ invenimus. „Diem ferre“ positum est sicut: interitum, perniciem ferre. Cf. Cic. Or, 13: „quum dies meus venerit.“ Tacit. Dial. 13 extr: „quandoque fatalis et meus dies veniet.“ Virg. Aen. III, 145: „Hortatur pater precari, quam fessis finem rebus ferat“ (Phoebus). In verbo „classis“ non offendendum est; refert enim genus metonymiae apud poetas frequentissimum. Cf. etiam Liv. I., 42. 43. Fab. Pict. ap. Gell. X, 15: „Classem procinctam esse exercitum instructum.“ Cf. Gell. I, 11. Milites igitur Achillis, propter ducem suum ipsius Paridis ictu imperfectum ira incensos, Troiae exitium allatueros esse Nereus vaticinatur. Quam bene haec ad rem congruant, liquet. Quaecunque ille molitur, ut semet ac patriam ab interitu retrahat, justam sceleris poenam arcere non potest.

---

## CARM. I, 31.

---

Versus 9—16 cum Peerlkampio Meinekius (praef. X.) ut suppositos damnavit; etiam Guietus eos ejicit (improbante Sanadono.) Quos errasse credo. Inprimis ordo sententiarum

rite constitutus est. Exponuntur hoc carmine modestae vatis preces ad Apollinem Palatinum missae. Trium partium, quarum duae priores binas strophas comprehendunt, postremam tertiam, prima enumerantur ea, quae poeta continens non desideret. Neque enim amplas segetes nec magnos greges nec res pretiosas nec ubera vineta petit. Altera causam affert, qua motus divitias spernat. Se quidem, ait, locupletibus fortunam non invidere, propterea quod paucis contentus fructu parvi sui fundi satis alatur. „Pascere“ enim victimum praebere est. Cf. Hor. epist. II, 2, 160: „Pascit te qui ager, tuus est.“ I, 16, 2. 17, 47: „fundus nec pascere firmus.“ 3, 36., al. Tertia pars quattuor versibus caput rei complexa docet, quidnam vates modestus deum poscat: integrum eorum, quae acceperit, usuram atque senectutem honestam carminumque haud expertem. Ita omnia bene cedunt. — Neque ex singulis quidquam vetat, quin hos versus pro veris habeamus. Quae versibus 9. 10. leguntur: „Premant Calena falce vitem“, emendatione Bentleji: „Calenam“ non egent. Simplicius quidem ac vulgari ratione „Calenam“ scribendum erat, ita tamen, ut hoc verbum non cum „dedit“, sed lege praedicati, quod dicitur, cum „premant“ solum conjungetur. Nam sententia haec est: „Ipsis Calibus divitum vineta per me jaceant;“ quae, si quis: „quibus dedit fortuna vitem Calenam“, legisset, plane sic perverteretur: „Ipsa falce premant“ sq. Itaque poeta, ut vocem illam magis etiam distingueret simulque, ut similitudo quaedam verborum „aureis culullis“, quem parallelismum vocant, fieret, per enallagen appositi „Calena falce“ minus ex re quam lucidae orationis gratia posuit. Hanc autem eam esse, qua quis Calibus utatur, recte explicabis. Cf. Hor. carm. I, 20, 9: „prelo domitam Caleno uvam.“ — Neque vero versu 12., ineptum esse, quod mercator, postquam vina eum defecerint, mercibus Syris nova paret, Peerlkampio assentior. Recte quidem criticus disserit, aliquid vendere et pro amissio aliud ex nummis inde factis emere, „parare“ esse, non „reparare“, quod ad res ejusdem tantum generis spectet. Fallitur autem, quum eam reparandi notionem ab hoc loco abhorrire contendat. Poetam enim id studuisse appareat, ut

commercii rationem lectori illis verbis ante oculos exponeret. Quippe mercator, si voluptatem ex vino de integro capere vult, novum iter ad pecunias expediendas faciat necesse est. (Bentlejus locum sic interpretatus est: „vina condita sive medicata Syriaca nardo.“ — Criticus quidam apud Peerlkampium conjectit „Syrae aere parata mercis“, ipse Peerlkampius „reparanda“ (reparāda), i. e. „quae facile reparari possunt; nam dis ipsis“ rel.) — Quid jam causae sit, quare interpretes inde a Commentatore Cruquii usque ad Orellium verbis „Dis“ sq. ironiam subjiciant, ignoro; nam nihil ejus reperire possum. Immo Horatius profitetur, sese diviti mercatori, etiamsi dis faventibus omnia maris pericula feliciter effugerit atque saepius per annum cum lucro redierit, favorem illum fortunamque haud invidere, utpote quae non desideret ipse. „Bibat“, inquit, „vina plurimo empta, sit, procul est invidia, dis carus ipsis, quippe qui ter adeo quaterque anno, si velit, ipsum aequor Atlanticum navium fere impatiens ac prorsus incognitum revisurus sit.“ En habes quoque, quo difficultates ex itineribus solito saepius per mare insuetum susceptis ortae expelli posse videantur. Sententiis enim hypothetice, ut dicunt, elatis res optime explicata est. Sin „aequor Atlanticum“ nihilominus displicet, haud scio an Horatius „Atlantidum impune“ scripsit, h. e. „tutus a tempestibus, quae post Hyadum Plejadumque ortum nasci solent.“ (Firmatur ea conjectura, ut nunc video, uno codice Bland.)

## CARM. II, 17.

V. 2. „nec mihi amicum est.“ Per assimilationem quandam, quae a grammaticis vocatur, fit, ut haec minus graviter dicta sint pro: „Certo cum animo statutum habeo, tecum simul obire.“

V. 7. Qua vulgo ratione interpretes, ut Commentator Cruquii („Non sum futurus ita mihi carus, ut antea“), Lambinus, Orellius, alii verbum „carus“ idem esse volunt atque, quod ep. I, 3, 29 legitur, „mihi carus“, non placet. Nam ut omittamus, pronomen „mihi“ hic deesse, illa forma oquendi ad mores potius pertinere videtur; sin minus, at verbo „integer“ simul comprehenditur. Nam qui integer, etiam conditione sua contentus est. Quare aut fallor aut Horatius se eo minus „carum“ fatetur fore, quod singularem Maecenatis amorem a ceteris amicis frustra desideratrus sit. (Jam Acron: „Carus non ero ita alteri futurus, sicut ipsi.“ Porphyrio: „Nec carus alii futurus sum, sicut tibi.“) Ita fit, ut „integer“ ad illum, „carus“ ad hunc recurrit, id quod poetae artem magis etiam patefacit.

Versus 13—16 ut cum Peerlkampio et Meinekio (praef. XV.) pro suspectis habeam, his adducor.

Haut quisquam negabit, dicendi modum, quomodo fortis in monstris impugnandis animus jactetur, tumidum atque ridicule inflatum esse neque futurum fuisse, ut aliter ac per jocum eo uti Horatio liceret. Serione hoc loco „spiritum Chimaerae igneae“ et „centimanum Gyam“, quae monstra vel ex atrocissimis et in rebus plane fictis ac commenticiis ducantur et dis ipsis deorumque filiis demum cesserint, a poeta appellatos esse? Quantopere autem hoc carmen jocum respuat, prima ejus pars satis luculenter ostendit. Non enim jocari decet eum, quem summus amoris ardor animique acerrimus impetus eo perducunt, ut unam amicorum sortem, unam vitam, unum obitum esse affirmet. — Deinde quum de morte simul cum Maecenate obeunda agatur, post lectos versus 10—12 atque iis, qui sequuntur, leviter tantum perspectis jure suo aliquis dictum esse putaverit, nulla re Horatium prohiberi posse, quin uno tempore cum amico moriantur. Atque hoc unum sententiarum rationi convenire manifestum est. Sed multum fallitur. Num tandem monstra illa vetant, ne mors amicos rapiat conjunctos? An, si illis post obitum vis inferatur, communis eorum excessus infectus fiet? Immo ut adversarii infernis copiam sui divellendi praebent, fides illa jam dudum persoluta sit necesse est. Quominus

enim haec verba de ineundo orco explicitur, adverbium ,unquam' vetat, quippe quum homines semel tantum inferos ingrediantur. Neque vero sententia, sicut exstat, recte se habere videtur. Qui enim mortui inter beatos numerabantur, tutos ab omni nocentium impetu creditos esse res ipsa docet. — Tum sententiae ratio, quam quidem versus proxime antecedentes atque quartae strophae altera pars aperte indicant, plane eo commutatur, quod sic adeo Justitiae et Parcis placitum esse scriptor addidit. Nam quae voluntas amplectitur, ea ad fatum nihil pertinent. Neque omnino hic illis locus erat; amicorum enim discessum a dis quoque improbari, iis demum, quae sequuntur, strophis explicatur. — Denique non video, quid Justitia hic sibi velit. Nam neque hac, verum amore et amicitia illud nititur, quod amici distrahi nequeant, neque tutelam eorum fuisse, infra ostenditur. — Vide Peerlkampium quoque, bene dissidentem, intellectu difficile esse, quomodo Justitia jus et leges curans una cum Parcis Horatii sortem destinaverit. — Unde vero hi versus orti sint, facile colligi potest. Fluxisse enim videntur ex versuum 11. 12. verbis: ,supremum' sq. perperam intellectis.

VV. 17—20. Hanc quoque stropham illos criticos jure suspectasse credo. Primum observatum velim, verba ,pars violentior', si re vera idem ut pars fortior thematum significant, non tam verbo ,Scorpions' apposita, quam trium nominum singuli cujusque praedicatum, quod vocatur, esse. Non enim nepam solum, sed cetera quoque signa eam ad genituras vim habere posse liquet. — Jam haec sententia nascitur: „Quocunque signum horae natalis meae pars fortior fuit, fortuna, quam haec mihi portendit, cum tua omnino congruit. Uterque ut vitae periculum, ita salutem expertus est.“ Etsi igitur neque in ipsa sententia neque in rerum serie quidquam est, quod reprehendi possit, tamen dicendi modus facit, ut hos versus ab Horatio abjudicem. Illud quidem libenter concesserim, multorum poetis veniam dandam esse, quae ficta potius quam vera propter certam rerum formam ac singulares notiones ad poesis rationem maxime quadrent. Quodsi aut vires naturae vel salutares

vel perniciose aut casus humani depinguntur, jam deorum specie induita, quasi viverent ac spirarent, homines aut juvant aut terrent. Horatio quoque, ut suam et Maecenatis similem vitae conditionem illustraret, geniturarum imagine uti licuit. Atque usus est versus 21. sq., sed ratione liberore ac vere poetica. Nam quum Saturnus, tum Juppiter numinis potius loco habetur, utpote qui summus hominum custos perniciem ab iis avertat eosque ab interitu retrahat. Faunus autem, Mercurii minister, nihil etiam ad genituras attinet. Neque haec ut poetica severam tristemque carminis indolem mutant. — Verum versibus 17—20 meras habes rationes Chaldaicas, Manilio vel Manethone illas quidem, minime Horatio dignas. Quae enim nomina leguntur, ipsius solum astrologiae propria sunt neque omnino poetice tractari patiuntur. Quare cum monstra illa ratione ac consilio prorsus careant, fieri non potest, quin sincerus evadat horoscopus ac sermo propter rerum immanitatem aequo plus intumescat. Num igitur Horatium hos versus aliter ac ridentem pronuntiaturum fuisse credibile est? Risum vero et joca, quibus seria quoque facilime gravitate sua privantur, hoc carmen plane dedecere, supra affatim docuisse nobis videmur. — Nec multum a risu irrisio distat. Itaque qui Chaldaeorum fraudem hic ab Horatio in ludibrium verti putaverunt, nescio an mollem tenuemque carminis indolem perperam acceperint. Ecquis, si amicum intimo prosecutus amore unam utriusque et vitam et mortem esse affirmet, simul astrologiae ineptias derideat? Nonne jam haec Saturnum quoque ac Jovem ludibrio affecissent? Quaecunque autem res est, hoc quidem persuasum habeo, poetam, si genitaram suam explicare voluisset, ratione illa, quam supra indicavimus, longe alia usum esse. — Qua in re id quoque dicendum est, quod praeter unum salutare librae signum cetera hominibus inimica parum apposite his versibus memofari videntur. Quoniam enim et summa rei et ipsa verba ,incredibili modo consentit' et qui post celebrantur, Juppiter et Faunus, eo redeunt, ut amico utrumque in deorum tutela aequo benigna esse patefiat, haud scio an Horatius fere sic locuturus fuisset: „Quocunque signum divinum hora natali blande

mihi arrisit, sive Venus fuit sive Juppiter sive Mercurius, simili uterque fato tenemur." — Si igitur, quam parum hi versus ad eos, qui sequuntur, accommodati sint, expendimus, et hanc stropham cum illa altera supra damnata comparamus, adeo suspicari licet, utramque non ejusdem solum auctoris esse, sed simile quiddam sapere. Quae manifestiora etiam fiunt propter praesens ,adspicit' (vide Peerlkampium), atque quod ,pars violentior' signum praeter cetera inimicum damnosumque potius significet. Eam enim eandem esse cum horoscopi parte fortiore, interpretes, quod equidem sciam, argumentis nondum firmarunt. Itaque quum scriptor horum versuum pro Horatio, sese nulla re ab amico deterritum iri, sancte affirmare quasi pergit, verba ,formidolosus, pars violentior' eam sententiam ostendunt, quae demum vera esse videatur, et, antequam ad versum 21. processeris, sponte etiam animo lectoris se offerat. Neque omittam, pro lectione ,natalis horae' alteram ,letalis' (duorum Bland., Pott. sex, Orellii Bernens. c et d) et tertiam ,fatalis' (Orellii Bern. b) in codicibus inveniri, quibus nostra versuum explanatio haud paulum firmatur. Quae si recta est, nihil habeo, quod addam.

Deletis igitur his duabus strophis carminis pulchritudine indignissimis egregia jam, quae ambas carminis partes duodenorum versuum ratio tenet, optime elucet. (Nam Meinekio, qui auctore Peerlkampio etiam tres postremas carminis strophas damnat, assentiri nequeo. Quae quidem Peerlkampius judicii sui argumenta attulit, nullius esse momenti existimo.) Ut igitur priore parte amicus amico promittit atque adjurat, amicitiam eorum morte demum utrique simul obrepente interituram esse, ita altera necessitudinis vinculum divino quodam numine poeta quasi sacrosanctum reddit; quod illic ex intimo animi sensu et velut divinando sibi persuasit certaque amplexus est voluntate, hic inviolatis deorum consiliis tanquam aeternum fatum evadit. Ita fit, ut sermo acerrimus, quo angor atque desiderium ex amico jacente captum depingitur, sedatis verbis grata leniatur. Quod autem poeta in extremo carmine ad ipsam sententiam non recurrit, quum in universa arte poesis lyricae, tum in Horatii more, quo

saepissime ceteris cognata adjungendo rem finire solet, tum vero in placida illa alterius partis indole nititur.

V. 25. Particula ,quum' in hunc locum minus quadrare videtur. Nam et Maecenatis salutem, ut rem tam magnam, temporis indicio etiam quasi diserte in memoriam revocare Horatium haud decuerit, et ipsa populi gratulatio sanitatis restitutae illi facta ita nimis minuatur detrecteturque necesse est. Quare Lachmanni emendationem ,cui' veram esse existimo. Recepérunt eam editio Weidm. et Meinekius quoque. Firmari videtur his Porphyronis: „Significat periculo adversae valetudinis nuper Maecenatem liberatum, cui ob hanc" rel. — Quod Paulyus conjecit, ,tum', non placet. Nam neque quae sententiae hic ratione relativa, quae vocatur, conjunctae sunt, eas separaverim, et quae antecedit, memoria Maecenatis servati, ita nimiam meri temporis significationem sapiat necesse est. Cf. Hor. serm. I, 5, 9—12: „Jam nox inducere terris umbras et coelo diffundere signa parabat; tum pueri nautis, pueris convicia nautae ingerere."

## CARM. II, 20.

Vv. 2. 3. ,Biformis vates', si quis cyenum in his verbis videt, primum intelligi potest, qui duplum hominis et belluae formam induit, fere ita, ut homo alis instructus exsistat. Atque ea vulgaris verbi ,biformis' notio est. Cf. Tac. Ann. XII, 64: ,biformes hominum partus.' Virg. Aen. VI, 25: ,prolesque biformis Minotaurus.' Cf. etiam Hor. carm. I, 27, 23. 24: ,triformi Chimaera.' Quod quum eorum sit, quae Horatius initio epistolae suae ad Pisones derideat, neque eum in hoc carmine de risu movendo cogitasse versus 5—8. cer-

tissime demonstrent, jam ab Eichstadio jure rejectum est. — Fortasse igitur rem ita explicare malis, ut poeta in cyenum mutatus solo cantu hominem simul et avem imitetur. Sed nihil profecimus. Non enim haec interpretatio ab altera differt, nisi quod, quae illuc de corpore ridicule dicta erant, etiam ad animum transierunt. Immo poeta in cyenum conversus humanam naturam plane abjecit, et qui cantus poetae humani fuit, jam avis divinae est. — Tertia denique ac vulgaris explanatio haec est: „Cycnus factus et tamen poeta manens per liquidum aethera ferar.“ Quam aequae ac ceteras a vero aberrare puto. Horatiumne, poetam et subtilissimi judicii et in cura verborum elegantissimum et brevitatem vere lyrice conspicuum, diserte cavisse, ne lectores eum olim bestiam fore opinarentur? — Quae vero adhuc diximus, cuncta in poetae mutatione nituntur, qua ut stemus, in duabus quidem prioribus strophis nihil est, quo cogamur. Neque vero quisquam poeta a lectore impetrabit, ut, quae primis versibus leguntur, iis tertia demum stropa lucem afferat, neque Horatius illud committere ausus esset. Quare ,biformis vates‘ non cycnus ex poeta recocitus, sed homo videtur esse, sicut jam scholiastae et Lambinus recte interpretati sunt, in eo tamen falsi, quod Horatium a carminibus et satiris ,biformem‘ appellant. Eum enim propter lyrice solum immortalitatem sibi vindicasse appetet. Tantum autem abest, ut hujusmodi translationi quidquam obsit, ut quum toto sermone, tum praesertim verbis: „non usitata nec tenui‘ desideretur. Quibus ea, quae sequuntur, „biformis vates‘ tanquam causa adjecta sunt, ita ut haec sententia evadat: „Immortalis ero neque usitata neque tenui arte usus, quippe qui eo, quod primus Latinae lyrae fidicen Graecos exemplaria secutus sum atque utriusque linguae indolem probe edoctus Latina Graecis felicissime institui excoluique, „biformis vatis‘ nomine jure appeller.“ Horatius igitur, scilicet ut ,vates‘ carmina componens, tanquam duplice forma est, altera, qua Graecos, altera, qua Romanos adspicit, simili modo, ut Ov. Fast. I, 89. Janus ,biformis‘ et Hor. carm. III, 22, 4. Diana ,triformis‘ nominatur. Neque ea imago veteribus ridicula videtur fuisse, quippe qui

deos biformes et triformes venerarentur. Talem vero translationem per linguam Latinam fieri posse, Lambinus quoque, ut supra indicavimus, censuit. Cujus haec sunt verba: „biformis. Vates lyricus et satiricus. Alii: qui nuper homo, nunc ales; a quibus dissentio.“ Cf. etiam poetam ap. Cic. Tusc. II, 8, vv. 13. 14: „biformato impetu Centaurus.“ — Quamquam concedo, eam interpretationem solito audaciorem esse. Verum illam dignitatem ubinam poeta sibi rectius tribuerit, quam in hoc ipso carmine, praesertim quum ceteris locis, quibus poesim suam memorat, de una illa maxime glocietur? (Cf. carm. III, 30. ep. I, 19, 23.) Atque mirum sane esset, si illuc verba: „non usitata penna ferar“, sola respicerent.

V. 6. „quem vocas“. Horatium ingenii poetici sui sibi conscientiam, ut adversarios hominesque invidos comminueret, certam sempernae gloriae spem paulo elatius hic jacitasse, ex toto dicendi colore haud incommodo conjicitur. Neque verba: „Non ego pauperum sanguis parentum, non ego, quem vocas, dilecte Maecenas, obibo“, in eam sententiam interpretatus falli mihi videor. Illud enim nemo dubitat, quin poetae inimici, ut humili loco natum cavillabantur, ita adulatoris ac parasiti crimine eum accusarent; perinde ac si, quum Maecenatis tanquam secura esset, majora assequi omnino non posset. Quare Horatius, ut ostenderet, illa ipsa, in quibus isti offendissent, sibi summa quaeque petenti non modo non offecisse, sed profuisse etiam, verbis quasi ex ipsorum ore missis eos refutavit. Disertissime affirmit, famam suam magis etiam eo augeri, quod talibus ortus sit atque „dilecti Maecenatis“ sui amicitia fruatur; quam si quis poeta paraverit, eum pro certo sperare posse, carmina sua digna futura esse ,cedro et levi cupresso.“

Versus 9—12 cur cum Peerlkampio, Meinekio, (praef. XVI.), aliis ab Horatio alienos esse censem, hae sunt causae.

Si supra recte disputatum est, poetam de humana forma in avis speciem mutanda in duabus prioribus strophis omnino non cogitasse, tertiam spuriam esse statim appetet. Nam, qui versibus 15. 16. invenitur, „canorum alitem“ hoc loco

nondum moramur. Concedamus vero illud, ita ut hic sententiarum ordo constituatur: „Cycni alis nisus ad coelum escendam. Non obibo. Jam sentio, me mutari.“ — Itaque quae, dum scribit, sensu percepereat, lectori aperit. Qui autem fieri potuit, ut Horatius de semet ipso id narraret, quod, quamvis licentiae poeticae indulgeas, ne verisimile quidem est? Probarem, si haec apud Ovidium legerentur; minime vero poetam lyricam decent, nedum Horatio se ipsum, immortalitatis jam jam participem, talem serio depingere liceat. Quam autem parum joco poeta hic studeat, duodecim primi versus, id quod iterum atque saepius affirmamus, luce clarius ostendunt. — Neque quidquam habes, quo demonstretur, hoc carmen in vitae fine ab Horatio scriptum esse; quinordo, unde ultimum libri II. evasit, contrarium docere videtur. Itaque cur poeta obitum sibi fere imminentem finxerit, non video. Qui vero nihilominus compositionis tempus ad eam Horatii aetatem referre malunt, aliam quandam eamque commodissimam loci explicationem sequi possunt. Senectute enim cutis vieta facta corrugatur et capillus canescit et per extremas membrorum partes pili nascuntur. Jam poetam ea aetatis proiectae indicia sensisse atque mutationis suae vestigia interpretatum esse sunt qui contendunt. Quod ita concinnum argutumque est, ut non dubitaremus, id amplexos locum ab Horatio profectum esse censere, nisi quum incerto compositionis tempore, tum quem priores versus sapiunt, sanctissimo orationis colore hoc vetaremur. Nonne enim poeta, quum corpus suum jam ita mutatum describeret, vultum quoque quamvis severum risu mutasset? — Quocunque autem modo versus explicaveris, hoc quidem certe concedes, illam imaginem insignem esse ad deformitatem atque ab ipsa illa veterum plastica, quae vocatur, res exprimenti ratione, ne dicam a poesi lyrics, prorsus discrepare. Quin etiam non modo risum, sed taedium quoque movet, si quis turpibus senectutis vestigiis tam magna portendi profiteatur. Aut enim fallor aut Horatius, quippe poeta lyrics summae elegantiae, si desiderium praesagiumque immortalitatis indicaturus fuisset, plane diversa, velut vincula corporis soluta, membra levata, similia dixisset. Verissime Peerikanpius:

„Imago aliqua, quae sola exsistit in cogitatione mentis divino igne correptae, non esse debet nimis corporea neque per omnes minutias depingenda.“ — Neque deinde placet, quod verba: ,residunt cruribus asperae pelles‘, ad intelligendum quasi medicorum disciplinam requirunt. Nam qui ea primum legit, facere non potest, quin Mitscherlichio duce, quae humana fuerint, non sine arte cycni crura reddat atque rem tanquam sensibus enodandam permittat. Haecine carminis lyrics sunt? — Quem denique rectum verborum ordinem Doederlinius ita restituit, ut verbum ,superne‘ cum sequentibus conjungeret, Meinekius (praef. l. 1.) jure Horatii quidem casto dicendi genere indignum appellavit.

Versus 13—20 ipsos quoque suspectos habeo.

1. Horatius, postquam certam immortalitatis suae fidem varie expressit atque extremis illis verbis: „non ego obibo“, sententiam prorsus absolvit, ad absolutam non recurrit, praesertim quum imaginem initio effectam, si quidem se in cycnum mutari fecit, inde a verbis, „non ego“ sq. jam omisisse videretur. Immo vero, oratio ad rem omnibus numeris confectam non credit solum, sed eam plane commutat atque pervertit. Nam qui vates antea terras reliquit sublimisque in coelum abiit, idem jam terris supervolitat, regionum omnium omnes gentes petit, non quiescit, donec ubique gloriae suae magnificentiam vulgaverit. Itaque factum est, ut versus 9. sq. quasi eandem ac priores sententiam, sed novam ejus, et quae alteri omnino repugnat, rationem proferant. Quam artem si quis Horatii esse putet, fallitur.

2. Esto vero, ut versus 9—20 bene cum ceteris congruant, id quod contra est; tamen propter tumorem orationis paene ridiculum, quo laborant, facere non possum, quin in amplificationibus illis quum poesi lyrics, tum Horatio indignantissimis numerem. Quid enim? Horatium audire eum nobis videmur, qui tanta verborum pompa carmina sua per totum orbem terrarum pervulgari jactet, qui regiones feritate infames, quin etiam fabulosas adituras, gentes visurus sit, quae, imperio Romano inimicissimae, immanitate omnes superare credebantur? Quasi hodie quis scripta sua per oceanum glaciale, quem vocant, ac per deserta Libyaec per-

sura esse vel a populis carne humana vesci solitis lectum iri gloriaretur.

3. Versu 13. ,notior‘ habent Bern. vetustiss., Leid., quattuor Pott. — ,nocior‘ Turic. — ,ocior‘ Or. Bern. b., c, d, Sangall., Goth. 2., vulgo editiones, imprimis Cruquii. Nam Icarum tristis potissimum casus ,notum‘ reddidit. Sed lectio ,ocior‘ aequa prava atque altera est. Daedali enim filium celeritate volandi imprimis excelluisse, nemo, quod equidem sciam, tradidit. Num igitur magnam gloriam is sibi parat, qui ,ocior‘ illo aëra percurrit? Neque vero, si quis Icarum celeritate vincat, non timendum est, ne sicut ille et ipse decidat atque undis pereat. Bentlejus: „Quisquis Icari exemplo volaverit, sive ocior sive tardior, nihil interest, is certe male rem gesturus est, et temerariis ausis excidet in aquis periturus.“ Hinc ejus emendatio ,tutior‘, quam etiam editio Weidman. et Meinekius receperunt, profecta est. Frustra, nam Icarum ab hoc loco alienum esse jam clarius elucet. Nempe poeta, si ,tutior‘ Icaro futurus tantummodo interitum vitaverit, id unum consequetur, ut carmina ejus oblivious dumtaxat non obruantur. Quomodo haec cum confidentia illa ante jactata, qua immortalitatem sibi vindicavit, convenient? — Deinde vero qui Horatium cum Icaro ita comparat, ut hunc illo tutiorem volatum suscepturum esse affirmet, utrumque idem petiisse sumat oportet. Quid igitur Icarus voluit? Ipse poeta carm. I, 3. docet, summa eum temeritate ,vacuum aëra pennis non homini datis experiri‘ itaque ,per vetitum nefas ruere‘ ausum esse. Rectissime igitur idem poeta carm. IV, 2, 1—4: „Pindarum quisquis studet aemulari, Jule, cerasitis ope Daedalea nititur pennis, vitro datus nomina ponto.“ Atque etiam Bentlejus: „Miror equidem, cur Icari exemplo hic uti voluerit Noster. Quid opus erat, ut male sibi ominaretur? Melius profecto sapuit carm. IV, 2, 1.“ rel. Nam qui cum Pindaro carminibus certare audet, is utique cum Icaro conferri potest; minime vero Horatius, qualem hoc quidem carmine invenimus. Immo nihil ausurus ea tantum petit, quibus suam ipsa ingenii virtus eum exornavit; pervenit, quo viri ,musarum sacerdotes“ ho-

minum laudibus jure efferuntur. Neque igitur conjecturae ,audacior‘ (Peerlkampii), ,cautior‘, ,laetior‘, ,ornatior‘ locum adjuverunt. Sed comparatio illa aut inepta aut, si Horatium propter ipsam diversam utriusque rationem tutiorem, quam Icarus fuerit, futurum esse dixeris, certe supervacanea ideoque per unum jocum proposita erit. Joco autem et risui hoc carmen vel finitimum esse, etiam atque etiam negamus. Neque quisquam adhuc interpres, quantum ego quidem sciam, illud cogitavit.

4. Ad verbum ,peritus‘ (v. 19.) Peerlkampius haec disserit: „Non eleganter Hiberum ita absolute ,peritum‘ appellari. Neque enim id verbum sic poni, nisi aut ex sententia appareat, cuius quis rei peritus sit“ (vide ea, quae attulit, exempla), „aut idem significetur, quod verbis ,rerum peritus‘ vel ,usu peritus‘.“ Itaque criticus ,peritus discere Hiber‘ conjectit (Broukhus: ,perustus‘, Burmann: ,petitus‘, i. e. bello). Neque Orellius interpretationem suam eandemque vulgarem: „cultus“, ullo exemplo firmavit, et quo absolutum ejus verbi usum demonstrare vult, locus Hor. epist. II, 2, 213: „Vivere si recte nescis, decide peritis‘ huc omnino non quadrat.

5. Denique quae verba tertiam stropham claudunt et quae postremam ordiuntur, rectum sententiarum vinculum ipsa quoque indicare videntur; quippe utraque obitum spectant. Nonne enim si poeta dixit: „Non obibo nec Stygia cohiebor unda“, jam ,inane illud funus‘ auditur?

Itaque non dubito, versus 13—20 in fraudis suspicionem vocare.

### CARM. III, 11.

Versus 13—24 fraudis suspicione non carere videntur. Poeta ut magnam, quam habeat, fiduciam, cantus dulcedine puellam fractum iri, praestet, jam primis versibus 1—6. ,Mercuri-

templis' sermone et simplici et ad carminis rationem aptissimo Mercurii testudinisque laudes canit. Deinde versu 7. sq. preces ipsas enarrat. Qui igitur fieri potest, ut, postquam alteram sententiam absolvit atque alteram prorsus novam adjecit, ad priorem illam recurrit? Ipsa enim res repugnat et ratio poesis lyricae Horatiique ars in carminibus componendis callidissima. Immo, quae versus 25. sq. leguntur, artissime cum verbis: ,dic modos, Lyde quibus' sq. cohaerent eaque naturali quodam ordine excipiunt. Neque vero, quod res ceteris inferior per duodecim versus perscribitur, cum universo carmine congruit.

Jam singula examinaturis versus 13. et 14. occurunt, quos ex carm I., 12, 9—12. ortos esse suspicari quidem licet; nisi quod scriptor tigres addidit et ,rapidos fluminum lapsus celeresque ventos' ,rivorum' nomine multo inertiore permutavit. Num deinde versibus 15. et 16. vestigiis Silii II., 552: ,insomnis lacrimosae janitor aulae' insecurus sit, in medio relinquam. De quattuor autem, qui sequuntur, versibus post Naekium (Opusc. phil. vol. I. p. 73. sq. ed. F. Th. Welcker) non habeo, quod dicam.

Damnati sunt etiam a Buttmanno in Mythologo II, pag. 367, Peerlkampio, in marginem relegati a Meinekio (praef. XVII.), uncis inclusi in editione Weidm. et a Paulyo, defensi a Jahnio. Naekii disputationis summam hanc habes: 1. Ineptum est dicere: ,Cessit tibi, testudo, blandienti Cerberus, quamvis furiale centum muniant angues caput ejus, atque spiritus teter saniesque manet ore trilingui.' Num enim lyra alter Hercules exstitit, in quem Cerberus centum ,muniret' angibus caput suum, atque spiritum tetrum saniemque emitteret ex ore trilingui? Horatius quidem certe talia scripsisset: ,Cessit Cerberus, deleniti sunt capitis angues, ipse anhelare venenum vel cruentrem madere desiit'. — 2. Perperam Cerberi caput ,furiale' vocatur, contra recte Oedipi in Stat. Theb. XI., 584. — 3. Verba ,ejus atque' lyrico poeta prorsus indigna esse, et ,spiritum manare' neminem unquam dixisse, jam Bentlejus judicavit. Inde conjectura ejus: ,exeatque halitus, quia ,spiritus exit' ad moribundos dumtaxat pertineat.)

Etiamsi autem ,spiritus manet' recte dici concesseris, tamen ,spiritus saniesque manet' ferri non potest.

Hactenus Naekius. Ex qua dissertatione hoc tantum etiam ad versum 15. colligere liceat, verbum ,cessit' fere idem sapere, quod egregius ille criticus in verbis: ,quamvis — muniant', reliquis jure criminatus est. Ut enim haec Herculis potius impetum referunt, ita ,cedere' ejus videtur esse, qui vi et armis impugnatur. Horatium vero subtilius atque elegantius illa depictum fuisse, descriptio ejusdem rei carm. II, 13, 33—36 proposita luculentissime docet. Quod enim l. l. ,stupens demittit atras bellua centiceps aures, et intorti capillis Eumenidum recreantur angues', fidicini carminibusque paene unum consentaneum est. Unde discitur, quae sit virtus poetica in eligendis verbis cautissima, et quam probe Horatius eam caluerit. — Quid deinde illa gradatio versu 21. per particulam ,quin et' instituta sibi vult? Num homines, qui quum ipsa natura ad modos ducantur, tum, doloribus cruciati, quamvis tormentis studeant leniendis atque adjutorem ab opera quasi levent, fidium cantu movere plus negotii est, quam immane illud monstrum, quo veterum cogitatio fere nihil invenit atrocius? Bene hoc in re simili ipse poeta indicavit. Carminis enim laudati versu 33. enarratis de singulari admiratione, qua umbrae Alcae carmina audiverint, fidem eo additurus, quod illorum incredibili dulcedine Cerberus etiam atque Eumenidum angues mitigati sint, sic incipit: ,Quid mirum.' Nam, qui sequuntur, quattuor versus ejus carminis (37—40.), id quod jam supra ad carm. I, 10. indicavi, Horatii esse cum Ellendtio idem nego. — Jam postremi exempli descriptio (vv. 22—24: ,stetit — mulces') haud scio an inscriti comparata sit. Quippe hoc agitur, ut, quod durissima quaeque leniverit, eo fastidiosae puellae quoque animum molliri posse pateat. Recte igitur ceteris disseritur: „Tigres silvaeque fides olim secuti sunt, rivi institerunt, ut jucundo sono delectarentur. Cantu mitigati et Cerberus mansuetus est neque Ixion Tityosve dolores jam senserunt.“ Quid Danaides? Num et ipsae, sicut pro ceterorum ratione par erat, laborum ita obliiscuntur, ut poenas solvere nihilominus pertineat?

Immo quiescant fata, et quae alias vi coactae usque opus faciunt, jam laeto fruuntur otio. Profecto haud invitatis aerumnoso opere eas destitisse celeriterque urnas deposuisse reor. Itaque magna, credo, contentione opus fuit, ut miserae illae mulierculae moverentur. Commutationem vero inferorum status fidium cantu effectam ab hoc loco abhorrere vel ipsa ratio exempli proxime antecedentis satis demonstrat. Atque persuasum mihi est, Horatium, si hos versus scripsisset, a subtiliore illa explicandi specie non discessurum fuisse, praesertim quando haec semel instituta esset. Sin orci leges permiscere voluisse, non dubito, quin, ut Ovidius Met. X, 40. sq., longe alias res, velut orbem Ixionis stupentem, Tityi vultures sopitos, aquam in Danaidum dolio remanentem, similia narrasset. — Quod denique eadem res continuo versus 25. sq. aequo multo sermone repetitur, perinde ac si omnino non memorata esset, Horatio indignum esse existimo.

V. 30. Verba: „nam quid potuere majus?“ non, ut Orellius voluit, causam reddunt, cur Danaides, impiae appellentur. Ineptum enim est, ejus rei excusationem afferre, in qua haud quisquam offendat. Neque etiam ea verba ad versus, qui antecedunt, spectant aut (cum editione Weidm. et Meinekio) sic legenda sunt: „Impiae nam“ sq., quasi acerbi illius supplicii ratio probetur. Docet enim vis conduplicationis atque agnominatio quaedam vocis, potuere, quippe quae versus 30. notionem valendi praebeat, versus 31. idem ut: animum induxere, significet, hos versus a re quoque artissime conjunctos esse. Quare haec sententia evadit: „Impiae sponsos occidere potuerunt, summum flagitium; nam quid potuere majus?“ Illis enim ipsis verbis notio summi flagitii inest.

Versus 49—52. Peerlkampius et Meinekius (praef. XVII.) auctore Guieto injuste ab Horatio abjudicare videntur: Non solum fieri non potuisse, ut Lynceus fuga abreptus Hypermnestrae sepulcro inscriberet, sed ne illam quidem, quae ejus fortuna futura esset, cognovisse. — At quidni homo, ut res se habitura erat, tumulum sponsae postea quaerere potuit? Sin id minus placet, nescio an Lynceus in suomet sepulcro carmen illud incidere jussus sit. Hoc quidem verbo

, nostri ceteris praeposito indicari videtur; quod, si Hypermnestrae sepulcrum dicitur, vix desideramus.

Ordo stropharum ejctis versibus 13—24 hic nascitur. Quattuor partium prima et tertia ternas, secunda et quarta binas strophas ita continet, ut singularum singulae strophae etiam verborum ratione connexae sint.

### CARM. III, 17.

Versus 2—5. quando — originem ab Horatio profectos esse cum multis criticis, Sanadono, Jonesio, Gesnero, Jano, Webero, Regelio, Lübkerio, aliis nego. In marginem eos relegavit Meinekius (praef. XVIII.) Jam Buttmannus Mythol. II, p. 366. his verbis, per quae sermo ratione tumida atque ab Horatio poeta lyrico prorsus discrepante legem simplicis sententiae egrediatur, omnem fidem abrogavit. Optimo jure ille. Nihil enim languidius frigidiusve hoc esse potest: „Aelius Lamia ab Lamo ortus est propter maiores ab eo denominatos.“ Quod fere eodem redit ac si „Aelii genus ab Lamo duci, scilicet quia Lamus auctor ejus sit“, scriptum inveniremus. — Quorsus deinde discrimin illud majorum? — Latius quoque haec perscripta sunt, quam quae per ceteras carminis partes ferre possent. — Neque aliud Bentlejum nisi pompa verborum, quam ille quidem ut in re tam exigua acriter deridet, permovit, ut N. Heinsii emendationem, genus — dicit pro codicum lectione ,ducis' reciperet. — Denique jocari poetam in Aelii genus manifestum est. Ad priscum Lamum Lamia refertur, videlicet propter nomen similitudinem. In qua quum dicti acumen vertatur, jam omnia irrita fient, si rem longius produxeris, immo enuntia-

veris, ipsa ,denominatione' generis antiquitatem niti.  
Num insulsissimam istam artem Horatii esse existimemus?

Ad singula animum advertentes in vulgari versuum 2—4. interpretatione valde offendimus. ,Priores Lamias' non omnes Aelii majores, sed primae solum aetatis proprios, et ,nepotum genus per memores fastos' deductum eos, quos jam historiae fides a fabulis defendat, intelligi, nimis durum neque satis firmatum videtur esse. Cur tandem, quoniam haec certe hominum quorundam stultum istud nimium antiquitatis studium spectant, fasti non ad ipsum Lamum jocose referuntur? Quodsi tamen scriptor illa significari voluit, non res ipsa solum, sed ratio quoque, qua ratione eam descriptis, vilis evadit. — Quae vero sententia versibus 5. 6. inest, nescio an omnino prava sit. ,Auctore' enim hoc loco gentis principem, non urbis conditorem indicatum esse, verbum v. 8. ,tenuisse' satis docet. Prolepsis autem, quam vocant, in ,auctoris' nomine fieri nequit, quippe quum effectus rei jam verbis ,ducis originem' comprehendatur. Itaque haec sententia nascitur: „Originem ducis a nobili illo inter gentium auctores viro, qui Formias ac Liris litora princeps tenuisse dicitur.“ Quae non magis recte se habere videntur, quam si quis sic dixerit: „Bruti a patre illo orti sunt, qui Romae habitavit“, pro: „qui suos ipse filios propter proditionis crimen interficere jussit.“ Vide licet ut illius fama, quatenus patrem respicimus, celebratur, ita Lamus ,auctoris' nomine illustrandus fuit, velut eo, quod posteris nihil nisi memoriam sui reliquisset, vel propter aliam rem sibi cum progenie communem. Neque repugnarem, si opulentis regis loco, talis, quallem invenimus, laudatus esset. Tenuisse vero quodlibet oppidum agrosque ejus finitimos principem, quid ad hominem ut ,auctorem' gentis?

Ejectis igitur his versibus vilissimis de argumento et de ordine sententiarum dicendum est. Horatius amicum cohortatur, ut laetum vitae fructum capiat. Solito autem more res in certam formam redigitur: imminere hiemem (nisi carmen Saturnalia spectat. V. Meinek., praef. p. XVIII.), itaque amico omnia, quae hominis animum juvent, bene componenda esse. Jam tres partes prope aquales efficiuntur,

quarum duae priores in eodem versus loco (vv. 9 et 13.) finiuntur. Prima carmen Aelio quasi inscribitur atque dicatur; altera causam adhortationis, tertia illam ipsam continet.

Superest etiam, ut pauca contra Peerlkampium, totum carmen ab Horatio adjudicantem, disputemus. Vide etiam Meinekii praef. l. l. Non igitur v. 10. in ,alga inutili' offendere debuit; qua ostendatur, per hiemem quaestuosis operibus foris faciendis locum non esse. Idem si ad versus 13. 14. recte Aelium de ligni cura moneri negat, quippe quod jam intro in domum allatum sit, non videt, id secus esse. Nam poeta hoc uno exemplo amicum hortatur, ut sibi propter hiemem imminentem ex omni parte consulat. De verbis denique ,Genium curabis', quae num latine dicta sint, criticus dubitat, vide Dillenburgerum, in cuius interpretatione acquiescere possumus.

#### CARM. IV, 4.

Vv. 14. 15. ,Ab ubere jam lacte depulsum.' Locum corruptum esse, inde a Bentlejo multi censuerunt critici, Lachmannus, Meinekius, alii. Nam meram tautologiam, quae vocatur, sapit. (Vide in primis Peerlkampium et quos laudat, Ruhnkenium, ceteros.) Ad quam vitandam qui duo verba ,lacte depulsum' quasi unum (ablactatum) efficere studuit, Orellius, in vitio corrigendo frustra laboravit; neque etiam illud ex indole linguae Latinae fieri posse demonstrat. Pari modo Regelius quoque, partem cum tota re conjunctam esse docens, a vero aberrat; nam utriusque verbi notio, ut in illo dicendi genere, eadem est. Fallitur etiam Peerlkampius, ,caprea procul a matris ubere vidit'

interpretando. Cur tandem ,ab ubere' potissimum? Qui deinde verbum ,ubere' loco adjectivi habere maluerunt, ut alia omittamus, necessario indicio, quanam re leo ab ubere etiam lacte depulsus sit, carent. Neque aliorum conjecturas: „jam jam que' aut ,jam ante' aut ,paulo ante' aut Lachmanni ,jam macte' quidquam profecisse credo, eo quod a recta sententia alienae esse videntur. Illud in primis intuendum est, leonem describi eum, qui matris cura non jam indigeat. Atque haud falli mihi videor, hanc fere sententiam emendatione parandam esse ratus: „leonem a matris ubere jam insito fervore depulsum.“ Itaque Bentleji quoque „jam mane' , h. e. „eo primum mane depulsum“, probari non posse videtur, quum ejusdem ,sponte' mihi valde arrideat. Fortasse scribendum est, „jam mente' , h. e. animo ac fortitudine. Cf. Horat. epist. II, 2, 35. 36: „hortari coepit eundem verbis, quae timido quoque possent addere mentem.“ Sin id propter versus 16. ,dente' minus placet, nescio an Horatius „jam Marte' eadem, qua ,mente' , significatione scripserit. Cf. Hor. carm. III, 5, 23. 24. ,arva Marte populata nostro. Virg. Aen. IX, 374: „Et jam tu, si qua tibi vis, si patrii quid Martis habes, illum adspice contra, qui vocat.“ — Paulyi conjectura ,ab ubere lactante depulsum' tautologiam illam et ipsa non evitavit.

VV. 18—22. ,qui b us — omnia. In his verbis damnidis critici fere consentiunt; laudo Guietum, Peerkampium, Janum, Weberum, Frankium (in marginem eos ejecit Meinekius. v. praef. XX.) Quorum sententiae non potui non accedere. Quare ad ea, quae illi dixerunt, pauca adjicere liceat. Indocti enim atque imprudentis poetae videtur esse, carminis, quo clari ducis laudes celebrentur, gravissimo loco, quippe quum oratio, ab initio nervose acriterque instituta et jam summum assecuta, splendidissimo fine quasi cumuletur atque id agatur, ut sententiae ad propositum egregie perducantur exitum, rem et prorsus minutam et alienissimam ratione paene inepta enarrare. Quo tandem modo quæstio illa plane historica ad victoriam Drusi pertinet? Neque intelligitur, quid secures Amazoniae hoc ipso loco sibi velint; nam magis consentaneum fuit, fortitudinem gentis la-

dare. Quocunque te converteris, Horatii ista verba esse non evinces. Qui vero conscripsit, primos versus imitatum esse appetet. Ut autem illis, cur aquilam ,ministrum fulminis alitem' poeta appellaverit, et aptissime nec sine suavitate describitur, ita haec, quum justa causa carent, tum pravissime exposita sunt.

VV. 27. 28. ,Augusti — Nerones, paternus — pueros. Contraria verborum vis ordine quoque indicata est. Adjuvat sapiens fortes , vir vitae usu expertus adolescentes juvenili ardore incensos.

VV. 29—36. Jam poeta, postquam laudibus Drusi ac simul Augusti Tiberiique canendis altius assurrexit, tanquam ex majore animi instinctu se recipit, ea quae ante imaginibus et personis certis illustraverit, generatim atque universe complexurus. Sententiae igitur sic dispositae sunt: „Ut aquila leove jam adultus fervido impetu in praedam irrumpit, ita Drusus ingenita Neronum virtute, exculta illa quidem per Augusti divinam sapientiam, feroce devicit Vindelicos. Ergo fortes fortibus generantur; sed una disciplina demum naturam firmat ac perfectam reddit.“ — Versibus autem 33—36 universa educatio egregie ita tractatur, ut alteri mentis eruditio, alteri cultum morum comprehendant. Deinde quam mira arte partes inter se junctae sint, ex sententiis integre propositis facile colligitur. „Cultus,“ inquit, „virtutem insitam auget; quibus vero eruditio deest, ii naturae feritatem non excedunt. Deficiente morum disciplina boni quoque degenerant, quum recta educatione ad humanitatem perducti laetam praeclarissimi cujusque facti spem ostentent.“ Quoniam igitur altera pars strophae ait, altera negat, sententiae, quae aut verbis enuntiatae aut cogitatione solum perceptae sunt, per figuram illam, quam chiascum vocant, sic quasi decussantur:

I. VV. 33. 34. Eruditio. — Feritas.

II. VV. 35. 36. Mores perdit. — Disciplina.

Versus 61—64. Meinekius (post C. L. Struvium Regionantanum in libello ad G. L. Klausenium misso, a. 1836.) ut suppositos delevit: „ineptum enim esse, Romanos propter invictam virtutem celebratos cum Spartis comparari, qui con-

serta manu victi occubuerint.“ (v. praef. XXI.) Quodsi rem examinamus, primum monstra illa ita effigi patet, ut par modo ac Romani, quo magis vulnererentur vel etiam excidantur, eo majora incrementa capiant. Itaque verbo ,submissere‘ non ea, quam nonnulli volunt, procreandi, sed suppōnendi compensandique notio inest. Recte Orellius: „unum post alterum protulere. Lucret. I, 8. ,Tellus submittit flores.“ Prop. I, 2, 9: „Submittit humus formosa colores.“ Deinde ut verba ,firmior, majus,‘ ita ,crevit, submissere‘ eadem ratio tenet. Alteris enim monstra cum gente Romana conferuntur, alteris illa ipsa validiora, quam antea fuerint, ex cladibus discessisse indicatur. Quare quae hydra, idem Colchi ac Thebae sunt; nam haec majore capitum numero, illi quasi continuis monstris augmentur. Videlicet notos Jasonis labores poeta dicit, et Cadmo, priusquam Spartos experiretur, Martis anguis vincenda erat. Hos vero terribiliores illa fuisse, jam inde elucet, quod pro uno multi extiterunt. Neque indigni videntur esse, qui propter diram originem et horrendam corporum speciem pugnandique ferocitatem cum Romanis comparentur. Quin etiam non Cadmi opera, sed sua ipsi manu ac tanquam vi divina perculsi cederunt, id qnod in ceteris monstris secus fuit. Quum igitur habitum majorem quam pro humano interitu quoque ostendant, cur inepte etiam cum gente Romana collati sint, omnino non video. Neque vero eorum excidium, verum id potius agitur, ut quam mirabiliter Thebae damnum ex priore clade ortum restituerint, describatur. Itaque hanc stropham a Meinekio haud jure in marginem religatam esse censeo.

Versus 65—68 diligentissime pensanti mihi non contigit, ut nodos quosdam expedirem. Primum in verbis ,luctere‘ sq. offendō. Quamquam enim non dubito, quin rectam praebant sententiam, hanc dico: „Si luctando integer victor discesseris, multa cum laude te proruet;“ tamen dicendi modus ab Horatio alienus videtur esse. Scilicet totus sermo in eo nititur, ut rebus prorsus contrariis, exitio et, quod inde nascitur, virium incremento, nominatim inter se oppositis invicta Romanorum virtus quam maxime emineat. Quae depingendi ratio qualis versu 65. instituta est, talem

versus 66. quoque desiderat. Ut igitur illo, ita hoc ea contraria separatim etiam enuntiatis declaranda fuerunt. Neque vero post lecta verba: „Menses profundo, pulchrior evenit“, aliud quam, id quod sincero quodam judicio postulari quoque videtur, eandem illam sententiae formam expectaveris, velut: „Luctando prosternas.“ Num igitur Horatium, poetam in omni judicio elegantissimum, hoc fugisse putemus? Nisi vero verbo ,luctere‘ hic singularis prosternendi notio inest; quamquam illud valde addubito. Obstat enim, quae ita oreretur, vocis ambiguitas. Quam Horatium ut in tanta re non admissurum, sed distincte scripturum fuisse omnino persuasum habeo, praesertim quum verbum: eluctari, posito simillimum idque loco aptissimum, facilime inveniri posset. — Si deinde quaeritur, quomodo hi versus cum antecedentibus cohaereant, monstrari videtur, quod illic ad Romanos efficiatur. Sed aut fallor aut minus indicant. Postquam enim poeta Romanorum gentem cum atrocibus illis monstris ita comparavit, ut ea evaderet, quae (ceteris omissis hydram nominamus), quae igitur ipsam terribilem hydram viribus aequaret, ad magnitudinem ejus amplius etiam describendam haud suffecerit dixisse: „pulchrior evenit“, et „multa cum laude proruit.“ — Omnino vero Horatii ars est, ad sententiam, quam fabularum exemplis semel illustraverit ac tanquam absolverit, non recurrere. Quae hic, eadem supra quoque, versibus 57—60., exposita, tum versibus 61—64. quasi absoluta sunt. — Itaque nescio an hi versus jure mihi suspecti sint. Ejiciendos eos esse etiam Martinus: De aliquot Horatii carminibus (Posen 1842), censuit. — Addi quoque potest, miras quasdam lectiones etiam in optimis codicibus inveniri. Pro „merses“ habent „mersus“ duo Bland., Lambini aliquot, omnes Bentl. praeter Graev. et Reg. Societat., Sangallens, Orellii Bern. c et d. — „Mersae“ Turic; — pro „luctere“ habet „ductore“ Turic.

Versus 73—76 qui damnant Peerlkampius et Meinekius (praef. XXI.), argumenta a semet potius, quam ex re ipsa petita afferre videntur. Imminui his vim priorum equidem non sentio; modo recte intelligantur. Quodsi deinde Peerlkampius latine dici: „Claudiae manus“ negat, et: „Nil

Claudii non perficient manu, quos' scribendum esse censet, id quidem non ausim affirmare; quamquam carm. I., 12, 47. ,Julium sidus' comparaverim. Dubitantem autem de verbis ,acuta belli' ad Quintiliani illud: ,Felicissime audax', non dubito revocare. Idem quum denique in eo offendat, quod ea verba cum verbo ,expediunt' conjuncta sint, rursus falli videtur. Nam quum praepositioni ,per' temporis potissimum notio insit, verba ,per acuta belli' ab omnibus fere soluta ad utrumque, et ,defendit' et ,expediunt', spectant.

Ab Hannibale vero hos versus criticus acutissimus fortasse recte abjudicavit. Jam Acron et Porphyrio eos poetae tribuunt, quum plerique editores Poenum loquentem faciant. Hannibal igitur, postquam gentem Romanam aeternam fore invitus quidem, sed fatis cessurus professus est, inde hoc quasi conclusum addit, jam Hasdrubale interemto de Carthagine actum esse. Summum illud atque extremum, quod, ut diceret, reliquum erat. Nam desperatis rebus loqui non licuit, verum reticere oportuit. Quid tandem Claudios ille moratur, qui in dolore atque aegritudine plane defixus nihil nisi fratriis interitum patriamque miseram animo volvat? — Esto tamen, ut haec verba Hannibalis sint. Quodsi Claudios nunquam victum iri dicit, fieri non posse videtur, quin suam conditionem ac bellum tunc a se ipso susceptum spectet. Jam vero, quae antecedit, hominis desperatio in fine orationis collocanda fuit. Hos igitur versus, si ab Hannibale post illam enuntientur, languidores esse Perlkampio libenter concesserim. Sin ipsum poetam eos loquentem facimus, omni reprehensione carent, immo ad locum aptissimi sunt. Scilicet nomen Hasdrubalis versu 72. deploratum duos Claudios, ex quorum majoribus unus ille summa cum gloria ,dirum' fregerit Hannibalem, in memoriam bene reducit. Quo fit, ut sermone ad propositum reverso laudibus famae eorum et hereditate quadam acceptae et propria virtute partae maximus cunulus eo accedat, quod illos semper hostium victores futuros esse poeta quasi divinat. Atque observandum est, qua arte ducum bona Neronum supra singulatim laudata paucis hic comprehendantur. Quippe tutela deorum adjuti

fortitudine (v. 73 .manus') simul et prudentia agunt. Jam igitur post sermonem Poeni gravem ac paene acerbum finis tam placidus lenisque, quam re et personis dignissimus carmini imponitur.

Restat etiam, ut, quo ordine sententiae per strophas digestae sint, doceamus.

Omissis versuum 18—22 verbis ,quibus-omnia' atque, quos in fraudis suspicionem vocavimus, versibus 65—68 duae partes, octonas strophas complexae, cernuntur, quibus una extrema carminis stropha exitus accedit. Utraque pars binis membris continetur, ita quidem, ut in priore sex strophae a duabus, in altera duae a sex excipiatur. Priore igitur parte Drusi simulque Augusti, altera omnium Neronum ac totius populi Romani laudes celebrantur. Transitum autem memoria Drusi majorum, ejus paeclaris rebus gestis optime revocata, parat. Nec quae inter membra utriusque partis similis quaedam ratio interest, eam silentio praeteribo. Ut enim prioris prius membrum certo Drusi exemplo ostendit, id quod altero universe tractatur, fortitudinem cum sapientia conjunctam omnino superatum non iri; ita alterius partis duae priores strophae tanquam ponunt, quod deinde sex firmetur, fere in hunc modum: „Antea quoque Neronum meritis fortuna conversa est; neque hoc contigit, nisi per invictam gentis Romanae virtutem.“

